PAMFLET
2006

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

EPISTOLICA DISCEPTATIO
DE FIDE IV-STIFICANTE DE-
que noſtra coram Deo juſtificatione,

HABITA

Inter præſtantiſsimum virum
D. SIBRANDVM LVBBERTI, S.
Theologiæ D. & Profeſſorem in celeberri-
ma Academia Franekerana.

ET

PETRVM BERTIVM Studiorum in Collegio il-
luſtrium Hollandiæ & VVeſt-Friſiæ Ordinum apud
Leydenſes præfectum.

Diſceptatur autem

An fides a Deo habeatur pro omni legis iuſtitia, quam nos præſtare tenebamur, adeóque an ipſe actus fidei Tò credere, imputetur in iuſtitiam ſenſu proprio. Ait hic, negat ille.

DELPHIS Batauorum.
Apud *Ioannem Andreæ*, ſub ſigno
aurei Alphabeti.

Anno 1612.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

2006

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

PRIMA EPISTOLA

Clariſſimi viri D. Petri Bertij Collegij illuſtrium Hollandiæ ac VVeſtphriſiæ Regentis doctiſſimi cum reſponſione Sibrandi Lubberti.

Bertius.

H S. D. P.
Abes Clariſsime & præſtantiſsime vir lucubrationem meam de iuſtificatione fidei, ad defenſionem illius Theſeos, quam ex Egberto Aemilio communi fratre, & amico noſtro intellexi abs te reprehenſam, quod quidem non tam iniquo animo factum fero, quam quod factum ſit inaudito me.

Lubbertus.

L S. D. P.
AEtor vir Clariſsime & præſtantiſsime, te hanc lucubrationem conſcripſiſſe, & ad me tua manu deſcriptam transmiſiſſe. In hac enim clarè & perſpicuè ante oculos noſtros poſitum videmus, quod antè per conſequentias quaſdam ex ijs, quæ ad nos Leyda mittebantur, & ex aliorum ſermonibus teſtimonijſque colligebamus. Etſi enim tam valida afferebant teſtimonia, & tam clara, certaque iudicia exſtabant ut famæ de veſtris erroribus ſparſæ fidem adhibere cogeremur, Tamen Deum teſtor in animam meam nunquam ſuſpicari potui tam deteſtabilem, & abominabilem eſſe doctrinam veſtram, niſi tuæ literæ tua ipſius manu deſcriptæ mihi fidem facerent: Quin auſim affirmare in tota veſtra Batavia nullum Profeſſorem Academiæ aut Paſtorē Eccleſiæ eſſe qui credere potuerit veſtram doctrinam tam eſſe profanam, & a ſacris literis alienam. aut qui tam impudens & tam prodigus honoris exiſtimationiſque ſuæ futurus ſit, ut hanc veſtram doctrinam in legitimo Eccleſiæ iudicio defendere, aut propugnare auſit.

Cum ego Reverendo & fideliſsimo Eccleſiæ veſtræ Paſtori Egberto Aemi-

to Aemilio meam de tuis theſibus ſententiam aperirem, videbar aliquid ſuboderarj, ſed ecce, coram Deo non mentior: non credebam te in damnata Serveti & Socini hæreſi eoúſque progreſſum eſſe, aut progredi voluiſſe, atque tu in hac diſſertatione à te factum eſſe ipſe confiteris, & propria tua manu teſtatum facis. ob eam cauſam tum dixi. Mihi videri theſin tuam *Σωκινίζειν*. Si hæc ſciviſſem quæ poſtea ex tuis epiſtolis didici, longè aliter de tuis theſibus locutus fuiſſem. Non fuit neceſſe ut audirem, priuſquam dicerem quid de tuis theſibus ſentirem. Eſt enim & ſemper fuit iſta libertas in Chriſtiana Eccleſia, ut cum librum legimus etiam non audito autore, liceat dicere quid de illo ſentiamus.

Bertius.

Et quidem abs te ſine ullius rationis colore.

Lubbertus.

An habuerim aliquem rationis colorem, quare iſta de tuis theſibus locutus fuerim, ex hac tua diſſertatione & mea ad illam reſponſione patebit.

Bertius.

Atque hæc cauſa eſt, cur ego in reſponſione mea comminiſci illa debuerim, quæ putavi tuarum partium fuiſſe contra afferre: Poſui ergo quæ mihi venerunt in mentem, & poſui bona fide. Ignoſces quod non protulerim firmiora, vix enim video quæ mei eſt ingenij tarditas, firmiora afferri poſſe.

Lubbertus.

Ego tibi tribuo hanc laudem, quod hanc materiam multò luculentius tractaveris, quam fecerunt ipſe Servetus, Socinus & Oſtorodius. Ob hanc cauſam adhibui & ego aliquam diligentiam, ut clarè & perſpicuè reſponderem, & quantum in me eſt hanc materiam ita excuterem, ut quilibet, qui non data opera cæcutire vult, videre poſsit, e qua parte ſtet veritas.

Quod ſcribis non potuiſſe firmiora afferri, hoc ego accipio de utrâque parte. Putaſti igitur pro noſtræ ſententiæ defenſione non potuiſſe firmiora argumenta adduci. & quia tuam ſententiam quanta potes diligentia defendis, reipſa dediſti intelligere, non poſſe a te ad tuam opinionem probandam firmiora afferri. Hoc poſterius ita ſe habere lætor, & ſimul admiror, qui fieri potuerit, ut propter

argumenta

argumenta tam infirma potueris a vera ſententia dimoveri. Ad illud prius quod attinet, ſpero te ex mea reſponſione intellecturum eſſe, te de veris nedum præcipuis noſtræ ſententiæ argumentis, ne vel ſemel ſeriò cogitaſſe.

Bertius.

Eadem tamen refuto modeſtè, & ſine inſectatione, ut decet veritatis ſtudioſum.

Lubbertus.

Non potuiſti aliter facere. nam quæ argumenta ad tuæ ſententiæ defenſionem adfers, ſunt admodum infirma: quæ vero ad noſtram ſententiam defendendam producis, ſunt eiuſmodi, ut firmiora ſint in promptu: illaque quæ adfers ita tractas, ut quilibet videre poſsit, te tantum in ſpecie aliquid voluiſſe agere. Quid opus eſt verbis! Tu ipſe confiteris te commentum eſſe quæ putaſti mearum partium eſſe. Si igitur hæc acerbè inſectatus fuiſſes, tum quiliqet ſine errore iudicare potuiſſet, te non Sibrandum, ſed te ipſum qui hæc commentus fueras, inſectatum fuiſſe.

Bertius.

Hactenus autẽ ſi quid poſſum iudicare res bellè ſucceſsit: ſi quid præterea habes, quo Theſis noſtra oppugnari queat, aut ſi contra ea, quæ defenſionis cauſa protuli, quicquam a te afferri poteſt, quod examine dignum ſit, gratum facies, ſi ſignifices. Neque enim hæc ego propterea mitto, ut tibi ius adimam reſponſionis, ſed ut vel tibi ſatisfaciam, vel cognoſcam cur adhuc contra ſentias.

Lubbertus.

Nunquam res inter nos melius ſucceſsit, quam in hac collatione. Liberabimus enim Eccleſiam ſuſpicionibus, & rem totam quam tantoperè celare voluit Harminius, ita patefaciemus, ut quilibet iudicaturus ſit, paſtores Eccleſiæ Batauicæ habere iuſtiſsimas cauſas, quare petant ut illuſtriſsimi Ordines Synodum convocent, & hanc doctrinam legitimo Eccleſiæ iudicio diiudicandam permittant.

Qui hæc lecturi ſunt, mecum iudicabunt ad hæc Eccleſiæ vulnera ſananda omninò opus eſſe Synodico iudicio, Niſi enim maturè convocetur Synodus, & huic malo idoneum remedium adferatur: metuendum eſt ut hoc virus latius ſerpat, & difficilius curari poſſet.

Bertius.

 Quanti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Quanti te faciam, vel ex eo potes cognoſcere, quod cum ad alios quæſtio iſta deferri poſſet, te potiſsimum delegerim, quem mea *Proſphóneſei* ſingulariter compellarem. Tametſi ut antea retuli alia quoque ſcriptionis cauſa fuit.

Lubbertus,

Indignus ſim tua amicitia, niſi te patri amore proſequar. Vt igitur tu ex ſingulari amore hanc *Proſphóneſin* ad me miſiſti, ita ego ex ſimili amore hanc meam reſponſionem ad te tranſmitto.

Bertius.

Vale vir præſtantiſsime, Dominus Ieſus laboribus tuis benedicat quam cumulatiſsimè. Dat. Lugd. Bat. VI. Iul. Anno., 1608.

Lubbertus.

Tu etiam vale vir præſtantiſsime: Dominus Ieſus ducat nos in veritatem ſuam, & faciat ut omnes unum ſimus in ipſo, & veritatem, quam e ſinu patris ſui attulit, & in verbo ſuo ſcribi iuſsit, conſtanter ad finem uſque retineamus, & inter nos amicitiam ſinceram fraternumque amorem colamus.

D. Sibrandi Lubberti de fide iuſtificante noſtra coram Deo cum D. Petro Bertio collatio.

Bertius.

BIennium iam ferè eſt cum Theſes edidi de fide: quas cum ad te poſteà partim officij, partim ſciſcitandi accuratioris iudicij tui cauſa miſiſſem; reſcripſiſti probari eas tibi, teque mutuo conſenſu

conſenſu noſtro gaudere. Cui quidem ſententiæ, vel eo ipſo quod a te profecta eſſet, libenter acquievi. Interea ſuborta nonnulla ſunt ob quæ bis ex Friſia iter ad nos ſuſcepiſti: ſemel Superiorum voluntate, quo tempore omnia aperta expertus ſum: ſemel & quidem nuperrimè tua, quo tempore audio cepiſſe te, alijs quibuſdam præeuntibus de ſcriptis meis ſecus quam antea feceras pronuntiare. At non putabam tuæ vel prudentiæ eſſe, vel ætatis, ex alijs potius quam ex me ipſo me noſce, nedum ut in ferendo iudicio, mutata ſubito voluntate, turbam antecedentium ſequerere, & incederes non quà eundum cenſeres ipſe, ſed qua itur. Iudicaſti igitur (ita ad me certò a communibus amicis perlatum) poſtremam Theſin meam minus bene conceptam eſſe. quod quidem ego præſenti mihi dictum maluiſſem, ut & ſcriptionis licuiſſet facere compendium, & de re tota liberius, fuſiuſque collatis ſignis agere. Cæterum quia id mihi tunc vel propter occupationes tuas, vel propter temporis anguſtiã, vel quia ſecus placuit, abs te fuit denegatum: neceſſariò mihi nunc ad vicariam ſcriptionem recurrendum fuit. Iudicaſti igitur Theſin illam laborare. Ego verò conſultò eam conceptis ita verbis formavi ut edita eſt.

Lubbertus.

Theſes tuas de fide ad me miſſas probavi fateor: etſi enim illa verba. *Sed quod hæc fides tum per gratuitam acceptilationem Dei in Chriſto habeatur pro omni legis iuſtitia quam nos præſtare tenebamur: tum quod hæc ſola iuſtitiam Chriſti quæ per imputationẽ noſtra eſt apprehendat*. Non per omnia placerent: putabam tamen te eandem rem diverſis verbis bis voluiſſe dicere, neque ſuſpicari poteram damnatam *Serveti* hæreſin ſub illis latere.

Ab eo tempore veni   istic cum eſſem accedebãt ad me amici, ita ut fit ſalutandi cauſa. hi poſt varios ſermones dicebant etiam tuas Theſes ſapere novitatem, ad quod ego: me illas vidiſſe, ſed non obſervaſſe. Tum quidam ex amicis. Ego inquit percurram in meum Muſeum, & eas tibi oſtendam, ut attentius legas, & denuò iudices. quod cum feciſſet, legi iſta verba. *Fides per gratuitam acceptilationem Dei habetur pro omni legis iuſtitia, quam nos præſtare tenebamur*. Hæc verba cum ego legerem & relegerem, atque interim non nihil hæſitarem. quæſivit quid mihi videretur? reſpondi illam theſin videri mihi *Sokinizein*. Hoc meum iudicium verum an falſum ſit, ex hac tua epiſtola, & mea ad eam reſponſione patebit. Reprehen-

dis

dis me quod te moverim, neque tibi quidquam de ea re dixerim. Hoc autem feci ne conſultò malum exaſperarem. Cogitavi enim fortè tibi non cogitanti verba iſta excidiſſe, nam hoc ut ſcis doctiſsimis quibuſque accidere poteſt. Deinde non debui domi alienæ curioſus eſſe. Neque potui mihi hoc ſumere, ut abs te de tuis theſibus rationem poſcerem. Adde me ita fauere aliorum laboribus ut non libenter reprehendam, ſi quid minus accuratè ab illis dicitur: ſubinde cogito quam multa forſitan in meis reprehendi poſsint. Sæpè etiam in mentem venit illorum quæ bene dicta ſunt. Hæc cum illis confero, eorumque recordatione ſcpelio illa, quæ minus commodè dicta ſunt. Quin malui hoc malum ſilentio ſopire quam vel ipſe tibi moleſtus eſſe, vel quenquam in te concitare: Neque abs eo tempore vel in Hollandia, vel extra eam, cum quoquã de ea re contuli. Imò (ſanctè tibi affirmo) ne memini quidem: Iam te ipſum iudicem conſtituo, & rogo ut iudices, an quicquam hac in re contra amicitiæ legis fecerim.

Bertius.

Nam cum ſic ſcripsiſſem, *concludimus igitur, fidem iuſtificantem fiducia carere non poſſe*, *poteram, ut vides hactenus inſtituto meo, quod erat in genere defungi, telamque abrumpere. Sed ut explorarem iudicia veſtra: neque reticerem quicquam eorum, quæ examini veſtro ſubijcienda exiſtimabam, addidi ʻoos ek periſſ'u, hæc quæ ſeqnuntur*

Iuctificans vocatur. Non quod ipſa nobis iuſtitiam inhærentem conferat: hoc enim potiſſimum eſt charitatis: neque quod ipſa nos iuſtificet: hic enim eſt actus Dei iudicis, neque quod eius merito nos Deus iuſtos pronuntiet. Meritum enim eſt Legis. Deus verò credentes iudicat ex Evangelio: Sed quod hæc tum per gratuitam acceptilationem Dei in Chriſto habeatur pro omni Legis iuſtitia, quam nos præſtare tenebamur. Tum quod hæc ſola iuſtitiam Chriſti quæ per imputationem noſtra eſt appræhendat.

Hæc quidem verba olim non minus tibi, quam alijs placuerunt: ijſdem ego verbis nunc plauſtrum perculi: nimirum, quia ut aiunt, novitatem ſapiunt, quia Harminii genium & Socini redolent.

Lubbertus.

Qua ratione ego hæc verba olim probaverim, & qua cauſa eadem deinde improbaverim; iam dixi. non debes autem mihi exprobrare

quod

quod nihil ſuſpicans mali illa in bonam partem interpretatus ſum: neque debes mecum expoſtulare, quod re diligentius conſiderata, hoc ipſum quod res eſt pronunciaverim. Tantum dixi illa *Sookinizein*, Harminii non memini.

Bertius.

Ac de Socino quidem ſanctè teſtor, me hactenus librum ipſius de Redemtore, in quo iſtud argumentum tractare dicitur non legiſſe: & licet mihi nuper admodum ab amico eius mihi copia facta ſit, tamen uſque adhuc ab illius lectione conſultò abſtinuiſſe. non eò tantum quod deſtinata *proairései* abhorream ab iſtiuſmodi ſcriptoribus: ſed etiã, quia tantum mihi a gravioribus muneris mei occupationibus otij conceſſum non eſt, ut bonas horas iſtiuſmodi librorum lectioni adhuc poſsim impendere.

Lubberrus.

Non dixi te legiſſe Socinum, multò minus dixi te illam theſin ex Socino mutuatam eſſe: tantum dixi *mihi videri illam Sookinizein*. Hoc ut ſcis poteſt verum eſſe, etiamſi non legeris Socinum, neque illam ex Socino mutuatus ſis. Noſti illud *'á philoon Platóonizei, 'á Plátoon philoonízei*. verum ſi quis dicere potuit *ton 'Platóona philoonizein*, quid ni ego dicere poſſum tuam theſin *Sookinizein*? Nam ut tu non legiſti Socinum, neque quicquam mutuatus es ex Socino; ita Plato non legit Philonem neque quicquã mutuatus eſt ex Philone. Quanquam autem tam ſeriò neges te Socinum legiſſe: tamen qui tuam epiſtolam, & meam ad illam reſponſionem legerint vix tuis verbis fidem adhibebunt.

Bertius.

D. Arminiũ verò fateor hæc ante me vulgaſſe, & tamẽ priuſquam ille iſta ederet, ego eadem, ut fit aliquot iam ante annos obſervaram. Neque tamen in hunc uſque diem ullum ego cum ipſo verbum ſuper hac re contuli, ut ex illo intelligas me purgatũ (quantum queo) pectus ad lectionem meditationemque rerum divinarum conferre, & non ea excerpere, atque annotare quæ partibus fovendis faciunt: ſed quæ ad *'epignosin 'alatheías tón kat' 'eusébeian*. Neque mirum videri debere, ſi duo eandem ingreſsi viam, licet alter alterum ignoret, tamen ad eandem metam pertingant, ac proinde ſuſpicionem, ſi quæ fortè iniecta eſt, vanam eſſe.

Lubbertus.

D. Arminium tecum ſentire tu ipſe idoneus teſtis es. ipſe Harminius hoc agnoſcit in epiſtola ad Legatum Electoris Palatini. Eius verba hæc ſunt. *Hoc nonnulli culpant, quod ipſum fidei actum tò credere dico imputari in iuſtitiam, idque proprio ſenſu non metonymicè.* An autem tu ante Harminium, an verò ille ante te hanc opinionem protulerit parum refert. Nam neque ille, neque tu huius opinionis autores eſtis: Sed tradidit illam ante vos Servetus, fecit idem Socinus, & Oſtorodius, quemadmodum ex mea reſponſione patebit.

Priuſquam progrediar, annotabo quod Harminius & ſcribũt ad clariſsimum virum Davidem Pareum. *Coram Deo & ſanctis angelis reſpondemus, nos neminem noſſe verbi divini adminiſtrum in toto hoc Belgio, (quorum nomine & nos per Dei gratiam venire cupimus) qui in doctrina, in qua nati & educati ſumus, cuius cauſa parentes noſtri durum exilium paſsi ſunt, propter quam ſævum hoc bellum ſuſtinuimus et perpeſsi ſumus, in dubium vocare velit.*

Hic provoco ad omnes Doctores & Paſtores, qui ſunt in fœderatis provincijs Belgicæ, an hoc iuſiurandum, quo illi duo Deum teſtem vocant in animam ſuam, ſe nullum adminiſtrum verbi noſſe in hoc Belgio, qui in recepta doctrina aliquid mutari velit: an inquam, hoc iuſiurandum, non ſit manifeſtaria divini nominis profanatio? Hæc enim doctrina, *Deum habere fidem pro tota legis iuſtitia, vel tò credere propriè ſic dictum nobis imputari ad iuſtitiam*, eſt doctrina noſtris Eccleſijs non ſolum nova & incognita; ſed etiã ſolenniter reiecta, & refutata & damnata. Quin eſt ex blaſphemijs Serveti, Socini & Oſtorodi quas omnes Eccleſiæ noſtræ deteſtantur, deſumta. Vide, ſolenniter iurant ſe neminem noſſe in toto Belgio, qui in doctrina recepta aliquid immutare velit, & ipſe Harminius etiam te teſte, primarium religionis caput conculcare conatur.

Bertius.

Sed miſsis hominibus, videamus, res ipſa ut ſe habeat. Sententia igitur mea de fide iuſtificante hæc eſt: *Iuſtificans vocatur, tum quia per gratuitam acceptilationem Dei in Chriſto habetur pro omni legis iuſtitia quam nos præſtare tenebamur: tum quia hæc ſola iuſtitiam Chriſti, quæ per imputationem noſtra eſt, apprehendit.*

Lubbertus.

Duo doces. Vnum, *fidem haberi a Deo pro omni legis iuſtitia.* Alterum, *hoc fidei contingere per gratuitam Dei acceptilationem.* Nos prius de priori, deinde de poſteriori agemus.

Dicis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Dicis igitur, *Fidem haberi a Deo pro omni legis iuſtitia*; ut hinc infe-
ras nos per, & propter unum fidei actum (id eſt) per fidem tanquā per opus noſtrum iuſtificari. Hoc ipſum ante te docuit Servetus, ſcribit enim lib. 2. de Lege & Evangelio, ut eſt apud Calvinum, in refutatione errorum Michaelis Serveti pag. 903. *Suum credere reputatum fuiſſe Abrahæ ad iuſtitiam.* Idem Servetus eodem libro fol. 304. docet, ut teſtatur Calv. eodem loco. *Abraham fuiſſe iuſtum propter unum fidei actum.*

Sed & Socinus hoc ipſum docet de Chriſto Servatore pag. 388. eius verba hæc ſunt. *Deo fidere ſemper hominem reddidit iuſtum.* & fol. 396. *Iustificamur fide in Chriſtū, quatenus Christo confidimus.* & fol. 398. *Fides per ſe nos iuſtificat.* & fol. 335. *Cum fides noſtra nobis ad iuſtitiam imputatur, ſenſus eſt, fidem noſtram pro iuſtitia haberi.* & fol. 333. *Cum iuſtitiam Abrahæ exemplo imputari docet, cui dubium eſſe poteſt, nil aliud enim ſibi velle, quam non ideo nos iuſtos coram Deo eſſe, quia opera noſtra id requirant, adeò ut merces ex debito nobis tribuatur: Sed quia Deo viſum ſit, fidem noſtram iuſtitiæ loco nobis ducere.*

Oſtorodius idem docet in diſputatione contra Georgiū Tradelij fol. 251. lin. 8. **Es iſt notig das auch et was in vns ghefunden werde daerumb ons Gott ſaligh macht/nemblich der Glaube an Chriſtum.**

(hoc eſt) *Neceſſe eſt ut aliquid in nobis inveniatur, propter quod Deus nos ſalvos faciat, nempe fides in Chriſtum.*

Addis, hoc fidei accidere propter gratuitam Dei acceptilationem. Etiam hoc ante te docuit Servetus libro 2. de Lege & Evangelio. Vt eſt apud Calv. Refutatione Mich. Serv. fol. 903. eius verba hæc ſunt. *Secundum naturam rei hoc non debebatur fidei Abrahæ, nec noſtræ: ſed ex gratia id ibi factum eſt.*

Et Socinus de Chriſto Servatore fol. 400. *Fides in Chriſtum qua iuſtificamur, nec perpetuam, nec abſolutiſſimam præceptorum Dei conſervationem ipſa per ſe continet, nec propria vi iuſtificat: ſed propter Dei clementiam, qui eiuſmodi opus facientibus, quod ob eam cauſam Chriſti opus a Deo appellatum fuit, iuſtitiam quantumvis anteà iniuſtis imputare dignatus eſt.*

Et Oſtorodius diſputatione contra Georgiū Tradelij fol 250. **Ob ich aber wel vnſure gherechtigheyt dem verdienſt Chriſti abſlaghe. Nach den mall Ich ſolch ein verdienſt niet bekenne noch erkenne; So ſchlage ichs doch ſeynen bluet vnd thode nicht abe/ſonderen ſchribe ſie Ihnen zu/ ſo feren daſſelbige bludt vnd todt in ons die dingen wirket/ vmb welcker willen**

 vns

vns Gott rechtferdigen wil/ nemblich den Glauben.

Hoc eſt. *Etſi noſtri iuſtificationem merito Chriſti detraho (quoniam tale meritum non cognoſco, neque agnoſco) tamen non detraho illam ſanguini & morti Chriſti, ſed tribuo illam ſanguini & morti Chriſti: quatenus ſanguis ille, & mors in nobis efficiunt eas res, propter quas Deus nos iuſtificat, nempe fidem.* Ex his quilibet videre poteſt, te, & Harminium idem docere de fide iuſtificante, quod ante vos Servetus, Socinus, & Oſtorodius de illa ſcriptis literis, & viua voce docuerunt.

Non nego te docere Chriſtum pro nobis ſatisfeciſſe, & hanc Chriſti ſatisfactionem pro nobis præſtitam nobis imputari ad iuſtitiam: quod negant Servetus, Socinus & Oſtorodus. Sed in quam partem hoc accipere debeamus, poſſet quis ambigere. Nam cū opinionem tuā de fide iuſtificante quā ex Serveto, Socino, & Oſtorodo deſumtā eſſe docui, probas, eiuſmodi adhibes argumenta, quibus ſatisfactio Chriſti pro nobis præſtita, id eſt, iuſtitia Chriſti nobis imputata funditus evertitur, quemadmodum in progreſſu patebit.

Bertius.

Prius illud membrum te offendit.

Lubbertus.

Rectè putas. Nuſquam enim in Scriptura legimus Deum habere fidem noſtram pro perfecta legis iuſtitia. Deinde eſt hoc nobis merito ſuſpectum, quia ex Serveti, Socini, & Oſtorodi blaſphemijs deſumtum eſt. Iam verò, Deus eſt iuſtus, & iudicium eius eſt ſecundum veritatem. Fides autem noſtra non eſt tota Legis iuſtitia, ſed tantum exigua pars illius. Eſt præterea imperfecta, quamdiu in hoc mundo Peregrinamur: nam neque omnia credimus, quæ credere debemus; neque tam firmiter credimus atque facere debebamus; ut taceam fidem noſtram eſſe multis dubitationibus, hæſitationibus & ignorantijs, alijſque peccatis contaminatam. fieri autem non poteſt ut ille qui iuſtus eſt, & cuius iudicium eſt ſecundum veritatem, habeat illam rem, quæ tantum exigua Legis pars eſt, quæque imperfecta, & multis peccatis contaminata eſt, pro perfecta Legis iuſtitia. Sed neq; conſcientiæ noſtræ, quæ ſibi ſuorum peccatorum conſciæ ſunt, & ſeverum Dei iudicium pavent tranquillari poſſunt, ſi dicas illas in ſevero Dei iudicio iuſtificari propter illam rem, quæ ipſa perfectè iuſta non eſt, & veniæ indiget.

Bertius.

Et audio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Et audio eſſe, qui id aſſerentes iudicent cum pontificijs ſentire, quaſi ſcilicet affirment opus fidei hoc mereri : ut hominem Deus ob eius dignitatem iuſtificet : Atqui non idem Pontificijs ſignificat iuſtificare, quod Apoſtolo & nobis : longéque aliud eſt mereri, aliud per gratuitam acceptilationem imputari. Illud prioribus eius theſeos verbis & corollario ſecundo evertitur: Hoc iſtis prioribus aſſeritur. Certè Bellarminus hanc ipſam quam pono ſententiam nobis aſſcribit, eamque operoſè oppugnat de iuſtif. lib. 1. cap. 7. Nunquã facturus ſi idem ipſe quoque ſtatuiſſet, verba eius ſic ſonant. Sequitur argumentum quartum quod petitur ex modo iuſtificandi ipſius fidei. *Nam præcipua cauſa cur adverſarij ſoli fidei iuſtificationem attribuunt illa eſt, quod exiſtiment fidem non iuſtificare per modum cauſæ, aut dignitatis, aut meriti, ſed ſolum correlatiuè, quia videlicet credendo accipit, quod Deus promittendo offert. Probemus igitur fidem veram & iuſtificantem non eſſe, ut adverſarij volunt, nudam ac ſolam apprehenſionem iuſtitiæ, ſed eſſe cauſam, & vim habere iuſtificandi. Quiſquamne exiſtimet ita fungum & imperitum eſſe ſuarum rerum Bellarm. ut apertè ſuffragantibus etiã Eccleſiæ Romanæ antiſtitibus, magno molimine id oppugnet, quod ſtatuit concilium Tridentinum?*

Lubbertus.

Qui hoc dicunt ſine dubio habent aliquam cauſam, quare ita dicant, ego tamen hoc non dixi. Etſi enim facit cum papiſtis, quod vis nos per fidem propriè ſic dictam, quatenus ſcilicet eſt opus noſtrum, iuſtificari : tamen in eo diſſentis ab illis, quod dicis. *Fidem noſtram haberi a Deo pro perfecta legis iuſtitia*, hoc non admittunt Papiſtæ. Nam hi docẽt fide inchoari iuſtitiam noſtram, charitate conſummari, Bellarm. lib. 2. de iuſtif. cap. 4. diſertè ſcribit. *Fide tantum inchoari iuſtitiam, perfici verò per dilectionem, & ſicut ſpiritus ſanctus vitã iuſtorum tribuit fidei, quoniam fide inchoatur : ſic per Apoſtolum eandem vitam tribuit charitati, quoniam inde perficitur.* Quia autem Servetus, Sociuns, Oſtorodus ſtatuunt fidem haberi à Deo pro iuſtitia, ſcilicet tota, & inde inferunt nos per unum fidei actum iuſtificari, ut ante oſtenſum eſt: dixi ego tuam theſin mihi videri *Sokinízein*.

An hac re benè, malève iudicaverim, me libenter Eccleſiarum Germanicarum, Helveticarum, Savandicarum, Gallicarũ. Britannicarum Belgicarum, Polonicarum, Huganicarum, Danicarum, Suedicarum, atque adeo omnium reformatarum Eccleſiarum, quæ ſub cœlo ſunt iudicio ſubmitto.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Sed quia tu provocas ad teſtimonium Bellarm. etiam de hoc teſtimonio nobis pluſculum dicendum eſt. Bellarm. dicit adverſarios (ita vocat omnes ſupra nominatas Eccleſias) in eo conſentire, ut dicant, *fidem non propriè, ſed correlativè accipi cum illa iuſtificari dicimur. Et hoc rectè, in eo enim conſentiunt omnes doctores noſtri, Lutherus, Melanthon, Brentius, Bucerus, Chytreus, Hemmingius, Calvinus, SWinglius, Oecolampadius, Grynæus, Bullingerus, Gualterus, Simlerus, Beza, Danæus, Zanchius, Martyr, Muſculus, Urſinus, Marloratus, Iuellus, Perkinſius*, & ut uno verbo dicam omnes doctores noſtri (illos qui nunc vivunt conſultò prætereo) in eo conſentiunt: Tu verò & Harminius illud negatis. Provoco igitur ad omnes doctores noſtros, an non aliquid novi in Eccleſiam noſtram Introducere velitis?

Ad hæc Bellarm. teſtatur Eccleſias noſtras omnes in eo conſentire, quod negant *Fidem habere vim iuſtficandi*, tu verò non tantum contendis fidem habere vim iuſtificandi, ſed palam aſſeris *iuſtificare eſſe univerſale pathos fidei.*

Crediderim Harminium idem velle, diſertè enim dicit, *Fidei actum hoc eſt, tò credere imputari in iuſtitiam, idque proprio ſenſu, non metonymicè.* Iam peto abs te, ut unum, unum, unum, inquam Doctorem reformatarum eccleſiarum producas, qui idem doceat: Si facere nequis, omnes intelligent vos novam & ante hunc diem inauditam doctrinam in Eccleſiam introducere voluiſſe.

Bertius.

Sed mitto Pontificios. Non ponit inquis hoc recepta ab Eccleſiis noſtris Catecheſis. Hic ego te vir prudentiſsime rogo, ut oſtendas quid cauſæ ſit cur nobis ſupra Catecheſin ſapere nō liceat? Quam enim multa vera ſunt quæ non habet Catecheſis? imò quam multa vera ſunt quæ habere non debet? Ergone nos ut Athenienſes ſemper pueri? Et poſt tot ſtudiorum labores, poſt lucubrationes indefeſſas, poſt præces, lectionem, meditarionemque ſcriptorum divinorum, iterum ad calces recurremus, nec audiemus Apoſtolum monentem, *ut omiſſo qui in Chriſto rudes inchoat ſermone ad perfectionem feramus.* Neque verò te id velle arbitror, ut omne verum noſtra Catecheſi comprehendi putes.

Nam ſi hoc ita eſt: næ aut mortales illi, qui eam primi condidere magnopere a via aberrarunt, cum id conſectati ſint, a quo ipſos ſuſcepti operis ratio, ipſeque adeò titulus, & finis revocare debebant: aut illud minime aſſecuti ſunt, quod volebant. Ecce enim de religione

gione, de hæreſibus, de libris ſacris, eorumque Maieſtate, perfectione, verſionibus, lectione, explicatione alijſque rebus compluribus, quid habet Catecheſis?

Lubbertus.

Ego hoc nunquam dixi, ergo non eſt neceſſe hoc tuear. Quin illa omnia quibus contendis licere ultrà Catecheſin ſapere, ad rem non faciunt; neque ſanè ego videre poſſum, quorſum illa tanta contentione inculces. Quia tamen Catecheſis noſtra cum verbo Dei congruit, & a noſtris Eccleſijs recepta, atq; a Paſtoribus Eccleſiarum noſtrarum, & a Profeſſoribus, teq; ipſo ſubſignata eſt: exiſtimaverim ego illis, qui Catecheſin illam ſua manu ſubſignarunt, non licere quicquam docere quod cum ea pugnet.

Non nego multa eſſe, quæ noſtra Catecheſi comprehenſa nō ſunt; & ſunt tamen cognitione dignisſima: ſed hoc nihil facit ad rem. Non enim volumus nihil docendum eſſe niſi quod Catecheſi comprehenſum eſt: ſed contendimus illis qui Catecheſin ſua manu ſubſignarunt, non licere quicquam ſcribere, quod Catecheſi adverſatur.

Bertius.

Dicis aliam poni in Catecheſi iuſtificationis noſtræ rationem per Chriſtum ſcilicet fide apprehenſum: fateor quidem hanc poni, ſed neque ipſa, neque ullus noſtrorum, quod quidē ſciam Theologorum, illam hactenus reiecit, quæ a nobis allata eſt.

Lubbertus.

Duæ hæ rationes iuſtificationis noſtræ, una per fidem propriè intellectam, altera, per meritum Chriſti ſimul conſiſtere non poſſunt. Nam ſi fides noſtra habetur a Deo pro perfecta legis iuſtitia, tum illi qui habent hāc fidē, habent perfectā legis iuſtitiā, ſed qui perfectam legis iuſtitiam habent, illi ſunt perfectè iuſti, & quidem inhærente iuſtitia, & ob eam cauſam nulla aliena iuſtitia, qua ſcilicet iuſtificentur, eſt illis neceſſaria. Sed de hac re in progreſſu prolixius.

Deinde Catecheſis dicit *nos gratis ex Dei miſericordia propter unius Chriſti meritum iuſtificari. Quæſt.* 21. Et hoc depromptum eſt ex Scriptura Rom. 3. 24, *Iuſtificamur gratis, ex ipſius gratia per redemptionem factam in Chriſto Ieſu.*

Tu verò dicis nos iuſtificari per fidem noſtram propriè ſic dictam, hoc eſt, per opus noſtrum. Eſt enim fides noſtra propriè accepta opus noſtrum. Sed Scriptura docet illam iuſtificationem, quæ fit gratis non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

tis, non poſſe conſiſtere cum illa quæ fit per opera. Rom. 11.6. *Quod ſi per gratiam, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non eſt gratia: Sin ex operibus, iam non ex gratia, alioqui opus iam non eſt opus*

Eadem dicit noſtra bona opera non poſſe eſſe iuſtitiam, neque partem iuſtitiæ coram Deo. Q. 62. Cauſam reddens, oportet inquit eam iuſtitiam, quæ in iudicio Dei conſiſtat perfectè abſolutam eſſe, & omni ex parte divinæ Legi congruentem; Noſtra verò etiam præſtantiſſima quæque opera in hac vita ſunt imperfecta, atque adeò peccatis inquinata. Sed fides, quæ eſt ex præſtantiſsimis operibus noſtris, eſt etiam imperfecta. Matth. 6. v. 30 *Nonne vos multò magis, ô exigua fide præditi.* Matth. 8. 28. *Quid timidi eſtis ô exigua fide præditi.* Lucæ 17. 5. Apoſtoli dixerunt ad Dominum, *Adde nobis fidem.* 1. Corinth. 13. 9. *Ex parte cognoſcimus.*

Et peccatis contaminata, Eſa. 64. 6. *Eramus ut immundi omnes nos, & tanquam veſtimentum inquinatum omnes iuſtitiæ noſtræ.* Nam ſi omnes iuſtitiæ noſtræ ſunt tanquam immundus pannus, manifeſtum eſt, fidem noſtram, quâ talem, integram cenſeri non poſſe: ut taceam omnium credentium fidem multa anxietate, dubitatione, hæſitatione, ignorantia, & alijs defectibus in hac vita laborare. Sine errore igitur colligimus Catecheſin pronuntiare: fidem noſtram propriè acceptam, neque eſſe poſſe totam iuſtitiam, neque aliquam partem iuſtitiæ coram Deo. Tuum vero dogma, de fide iuſtificante pugnat cum hoc dogmate ex diametro.

Dicit enim Catecheſis,

Nulla opera ſunt iuſtitia ſcilicet tota, aut pars iuſtitiæ coram Deo.

Tu vero dicis,

Aliquod opus noſtrũ ſcilicet fides noſtra propriè accepta eſt perfecta legis iuſtitia, vel quod idem eſt, eſt iuſtitia coram Deo.

Expende hæc diligenter, & iudica ipſe, an qui tua manu Catecheſin ſubſignaſti, illæſa fide, qua ſcilicet illi obſtrictus es, ita docere poſsis? Quod dicis nullum Theologorum noſtrorum reijcere illã iuſtificandi rationem, quam tu ponis, tolerari non debet. Docet enim David Paræus, quem ex præcipuis huius Seculi Theologis unum eſſe, tu ipſe non negabis, in Epiſt. ad Rom. cap. 3. reſponſione ad Octauum dubium. *Fidem iuſtificare non habitualiter, ut eſt qualitas, ſed relatiuè, quia correlativum fidei ſatisfactio, & meritum Chriſti fide apprehenſum iuſtificat. Item organicè, quia fides iuſtitiam imputatam accipit inſtar dextræ.* Idem in cap. 4. ad Rom. *Cum fides dicitur imputari pro iuſtitia, id non intelligendum materialiter, ſed relativè, item organicè.* Idem reſponſione ad Dubium tertium, in caput 4. ad Rom. *Neque enim*

Fides

Fides imputatur ad iuſtitiam ob actum unum, vel plures, vel ob proaireſin omnia credendi: ſed gratis ob Chriſti obedientiam, & meritum, in quo fundatur. Vno autem bono opere iuſtificari directè repugnat voci Legis. Maledictus qui non manſerit in omnibus. Idem in 5. cap. ad Rom. commate 10. *Obſerva æquipollentiam phraſium ſupra.*

Iuſtificati ex fide, Hic *Iuſtificati ſanguine Chriſti.*

Hæc propriè idem eſſe non poſſunt, quoniam fides noſtra & ſãguis Chriſti propriè idem non ſunt: & tamen ad eundem ſenſum reducuntur ab Apoſtolo. Patet igitur iuſtificari fide, eſſe idem, quod iuſtificari fide mortem ſiue ſanguinem Chriſti amplectendo: Seu iuſtitiam a Deo per Chriſti ſanguinem gratis imputatam fide accipere. Fides igitur organum, ſanguis Chriſti meritum eſt iuſtificationis noſtræ: Ita fides noſtra iuſtificat organicè, Sanguis Chriſti meritoriè. Idem in 9. cap. ad Rom. verſ. 30. *Aliud eſt fides, aliud iuſtitia. Iuſtitia enim eſt ex fide, fides eſt organum accipiens iuſtitiam. Proinde iuſtitia fidei non eſt inhæſiua qualitas: ſed donum remiſſionis peccatorum, ſeu iuſtitia gratis imputata per fidem, propter obedientiam mediatoris Chriſti.*

Danæus in Enchridium Auguſtini in 31 cap. *Diſtinguendum eſt quid ipſa fides per ſe valeat, & quid propter ipſius obiectum, id eſt, Chriſtũ, & alieno beneficio poſſit. Per ſe quidem et qualis in nobis fides, ſi ſpectemus, eſt imperfecta, manca, polluta, & infidelitate conſpurcata, & commixta, ut ne virtutis quidem nomine quidem digna ſit. Ex parte enim tantum credimus. Sin ſpectetur fides ex vi & merito Chriſti, id eſt, ſui obiecti ratione, illas laudes omnes habet, ut nos iuſtificet, ſalvos faciat, & viuicet.* Et paulo poſt. *Ne peſſimo errore quod Chriſti proprium eſt, ad inſtrumentum per quod ipſe a nobis apprehenditur, id eſt, ad fidem* (arrige aures Pamphile) *turpiſſimè & magna cum blaſphemia transferamus.*

Vrſinus in Catecheticis, de iuſtificatione Quæſt. 4. *Iuſtitia noſtra, qua iuſti ſumus coram Deo, non eſt conformitas noſtra*

ſtra cum lege, non bona opera, non fides. Sed ſola ſatisfactio Chriſti præſtita legi pro nobis. Idem de iuſtificatione Q. 6. Vulgò dicitur: fide iuſtificamur correlativè, h, e. eo iuſtificamur, quod eſt correlativum fidei, nempe merito Chriſti, ad quod defertur, ſeu quod apprehendit fides. Nam fides & ſatisfactio Chriſti habent ſe correlativè, ut accipiens & acceptum. Recte autem ſic loquimur, quia tum fides de cauſa formali iuſtificationis intelligitur, & ſenſus eſt, miritum Chriſti iuſtificat, non fides; apprehenſum iuſtificat, non apprehendens inſtrumentum. Sed iuſtificatio etiam ſine relatione rectè tribuitur fidei ut cauſæ inſtrumentali. Fide iuſtificamur, id eſt, per fidem ut per medium. Vſitatè enim affectus cauſæ efficientis tribuitur inſtrumento. At cum dicitur. Fides imputatur ei ad iuſtitiam: & aliæ eiuſmodi propeſitiones, neceſſario tantum correlativè ſunt intelligendæ, quatenus nimirum fides eſt apprehenſæ iuſtitiæ inſtrumentum, & veluti manus, qua iuſtitia Chriſti accipitur.

Idem in explicatione quæſtionis 64. *Iuſtitia noſtra eſt id, quo formaliter ſumus iuſti. Fides eſt iuſtitia noſtra. Ergo Fide formaliter ſumus iuſti. Reſp. Negatur conſequentia mutato genere prædicationis. Maior enim propriè, minor relativè & Metaleptikoos intelligitur, alioqui falſa eſſet. Propriè enim non fides, ſed fidei correlatiuum, hoc eſt, meritum Chriſti, quod fides intuetur, & ſibi applicat, eſt iuſtitia noſtra.*

Catecheſis Palatina Quæſt. 61. *Cur ſola fide te iuſtum eſſe affirmas? Reſp. Non quod dignitate meæ fidei Deo placeam, ſed quod ſola ſatisfactio, iuſtitia, & ſanctitas Chriſti mea iuſtitia ſit coram Deo, Ego verò eam non alia ratione quam fide amplecti, & mihi applicare queam.*

Chemnitius examine Tridenti Concilij de iuſtificatione 44. *Fides iuſtificat quia Chriſtum apprehendit.* Ibidem Fol. 180. coll. 2. *Fides nec ſemper, nec in omnibus eſt lux ardens, ſed ſæpe linum tantum fumigans. Eſt enim fides magna, ut in Centurione, & in Chananæa, eſt modica* Matth. 14. *Imbe-*

cillis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

cillis, Rom. 14. *Et infirmitas fidei vel eſt in agnitione*, Rom. 14. *vel in fiducia*, Matth. 9. *Iuſtificat autem fides non propterea quod ſit virtus tam firma, & perfecta, ſed propter obiectum, quod ſcilicet apprehendit; Chriſtum Mediatorem. Quando igitur fides in obiecto non errat, ſed illud inter trepidationes fiducia quantumvis languida apprehendit, aut apprehendere conatur & appetit, eſt quidem modica & infirma fides, vera tamen fides.*

Perkinſus Catholico reformato, fol. 77. *Homo iuſtificatur ſola fide, quia fides eſt ſolum & unicum illud inſtrumentum, effectum & creatum a ſpiritu ſancto in corde hominis, quo is manum quaſi inijcit, & apprehendit, ſibique ipſi applicat iuſtitiam Chriſti.* Et fol. 100. *Docemus fidem eſſe inſtrumentum ſupernaturale, creatum a Deo in animo hominis in ipſa eius converſione, quo is apprehendit, recipit, & applicat ſibi iuſtitam Chriſti ad ſui iuſtificationem.* Et fol. 126. *Dicimus igitur nos fide iuſtificari non quatenus ea opus, virtus, aut qualitas quæpiam eſt: ſed quatenus eſt inſtrumentum, quo recipimus & applicamus nobis id quod nos iuſtificat. Quæ loquendi forma figurata, eſt dicere: Iuſtificamur fide. Fides enim in ſe conſiderata neminem reddit iuſtum; ut nec ipſe actus fidei, cuius proprium eſt Chriſtum apprehendere. Sed iuſtificat nos obiectum fidei, quæ eſt obedientia Chriſti fide apprehenſa.*

Muſculus in locis fol. 248. *Fides iuſtificat non quatenus efficax eſt per dilectionem: ſed quatenus miſericordiam Dei, & abſolutionem a peccatis, & condemnatione apprehendit.*

Hemmingius in Epiſt. Iacobi Cap. 2. fol. 94. *Fides eſt velut manus quædam, qua Chriſtum cum ſua obedientia recipimus, ut ſit noſtra iuſtitia,*

Idem ad Rom. cap. 9. fol. 19. *Vult Paulus quod hæc fidei iuſtitia, ſola fide abſque operibus recipiatur & poſſideatur. Et ſumma Evangelij eſt prædicatio iuſtitiæ Chriſti quæ fide apprehenditur.*

Bucanus in locis pag. 347. *Quemadmodum manus, quæ*

recipit theſaurum donatum, non ditat, ſed theſaurus, ſic nec fidei opus vel actus nos iuſtificat, ſed ipſe Chriſtus, quem fide apprehendimus. Et hoc eſt quod Theologi orthodoxi dicunt. Nos iuſtificari fide correlativè, & ratione obiecti, fidem imputari in iuſtitiam, quæ aſſertio inde manifeſta eſt quod apud Paul. Rom. 3.27.28 opponitur hæc enuntiatio, Fide ſumus iuſi, propoſitioni huic, Iuſtificamur ex operibus tanquam contradictoriæ. Quare ex natura contradictionis perſpicuum eſt, non iuſtificari quemquam fide, in quantum eſt opus noſtrum, ſed in quantum meritum Chriſti apprehendit.

Heſſuſius de iuſtificatione pag. 112 6. *Fide ſumus iuſti. Fides eſt opus. Ergo operibus ſumus iuſti. Propoſitio de cauſa inſtrumentali, & correlative eſt intelligenda. Fides enim non eſt illud opus, propter quod pronuntiamur iuſti: ſed eſt inſtumentum, & mendica manus noſtra qua apprehendimus Mediatorē Chriſtum cum omnibus ſuis beneficÿs. Propter cuius obedientiam iuſti reputamur. Idem igitur ſignificat: Fide ſumus iuſti, quod miſericordia Dei propter Chriſtum, qui traditus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtitiam noſtram, ſumus iuſti. Fides tanquam opus non iuſtificat, quia nec eſt perfecta, nec eſt integra legis impletio.*

Martyr in epiſt. ad Rom. cap. 3. *Cum Fides iuſtificare dicitur, pro obiecto ſuo ſumitur.* Et *altera affirmat eam per fidem nobis dari. Vult itaque fidem inſtrumentum eſſe, quo hæc iuſtitia comprehendatur.*

Idem in caput 10. ad Rom. *Cum Scriptura dicit nos fide iuſtificari, audito fidei nomine, reſpiciendum eſt eius obiectum ſeu correlatiuum, nempe Dei miſericordia, & promiſſio per Chriſtum.*

Piſcator in aphoriſmis loco 13. 3. *Fide iuſtificari dicitur is, qui operū iuſtitia excluſus Chriſti iuſtitiā (id eſt, iuſtitiam Chriſti morte partam) per fidem apprehendit, qua veſtitus in Dei conſpectu non ut peccator, ſed tanquam iuſtus apparet.* Et cap. 7.

Cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Cum Fide nos iuſtificari dicimur, intelligimus nos iuſtos a Deo pronunciari quatenus obedientia Chriſti, quam is Patri pro nobis præſtitit, guſtando mortem pro nobis, atque ita pœnam legis a nobis violatæ ſolvendo, per fidem a nobis apprehenſa, nobiſque applicata, ad iuſtitiam nobis imputatur.

Auguſtana confeſſio cap. 20. de fide. *Quanquam contritio aliqua ſeu pænitentia neceſſaria eſt, tamen ſciendum eſt nobis donari remiſsionem peccatorum, & fieri nos ex iniuſtis iuſtos, id eſt, reconciliatos ſeu acceptos, & filios Dei gratis, propter Chriſtum, non propter dignitatem contritionis, aut aliorum operum præcedentium, aut ſequentium: ſed fide hoc beneficium accipiendum eſt, qua credere oportet, quod propter Chriſtum donentur nobis remiſsio peccatorum & iuſtificatio.*

Confeſsio Belgica art. 22. Met rechter oorſaecke ſegghen wy na S. Paulus dat wy gherechtveerdigt worden door het gheloove alleen / ofte door het gheloove ſonder de wercken. Wy en verſtaen niet eyghentlijck te ſpreecken / dat door het gheloove is (dat is om des ghelooves wille) dat wy gherechtveerdight worden / want dat ſelve geloove is maer een inſtrument / daer door wy Chriſtum onſe rechtveerdicheydt omhelſen, etc. Hoc eſt.

Iuſta de cauſa ſecundum B. Paulum dicimus nos iuſtificari fide tantum, vel quod idem eſt, iuſtificari fide ſine operibus. Non volumus fidem propriè loquendo eſſe illud, propter quod iuſtificamur, eſt enim fides tantum inſtrumẽtum, quo Chriſtum iuſtitiam noſtram amplectimur &c.

Et Paulus cum inquit; *Fides reputatur ad iuſtitiam, &c.* Loquitur de fiducia miſericordiæ promiſſæ propter Chriſtum, eſtq; ſententia, homines iuſtos pronuntiari & reconciliari per miſericordiam, non propter dignitatem propriam, ſed hanc miſericordiam promiſſam propter Chriſtum oportet fide accipi.

Muſculus in locis de iuſtificatione fol. 24. 8. *Quamvis non ſit ſola, ſola tamen iuſtificat quocunque ſenſu verbum iuſtificandi accipiant. Iuſtificat autem non quatenus efficax eſt per dilectionem: ſed quatenus miſericordiam Dei, & abſolutionem a peccatis & condemnatione apprehendit. Et manifeſtum eſt alterum illud medium, quo iuſtificationis gratiam apprehendimus, eſſe, nec opera, nec qualitatis alicuius noſtræ dignitatem, ſed fidem in Chriſtum.*

Buce. in locis. loco 31. cap. 37. *Sola Fides iuſtificat, quia ipſa eſt unicum inſtrumentum, & unica facultas in nobis qua recipimus iuſtitiam Chriſti.*

Atque hæc eſt communis doctorum noſtrorum ſententia. Si quis tamen dixerit fidem in hac propoſitione, *Homo iuſtificatur fide*, inſtrumentaliter accipi: non negaverim ego hominem iſto opere, ut inſtrumento iuſtificari. Fides enim revera eſt opus per quod, tanquam per inſtrumentum ſive medium iuſtitiam apprehendimus.

Huius rei autorem do tibi magnum Vrſinum in Catech. Q. 63. *Illo opere iuſtificamur tanquam instrumento, ſive medio, non tanquam cauſa impulſiva.* Sed longè aliter tu accipis, cum nos fide propriè ſic dicta iuſtificari contendis. Putas enim fidem tuam haberi a Deo pro tota legis ſatisfactione: vel quod idem eſt, putas fidem tuam eſſe illam iuſtitiam, qua coram Deo iuſtificamur. In fine huius diſſertationis doces nos fide inſtrumentaliter iuſtificari, atque illum iuſtificãdi modum, contra hunc diſtinguis.

Bertius.

Quam multa *Vrſinus*, quam multa *Paræus*, alijque anno tarunt ad ſingulas pene quæſtiones, quæ explicandæ quidẽ rei faciunt, & tamen verbis Catecheticis non continentur? Nunc illa mihi quater.

explicata eſt, nec fuit religio, afferre vel alia prorſus argumenta, vel ea, quæ fulciendis rationibus in Catecheſi poſitis conducerent: neque dubito quin idem tibi quoque in ea quam moliris enarratione eventurum ſit. Quæ cum ita ſint, quod potuit meum crimen eſſe, qui utrumque dixi, & quod ſecundum Scripturam habet Catecheſis, & quod non habet.

Lubbertus.

Vrſinus & Paræus acerrimi iudicij, & maximi ingenij Theologi in Catecheſin Palatinam ediderunt commentarium: Hic ut eſt doctus, & elaboratus approbatur omnium doctorum virorum iudicio. Et quia cum ſacra Scriptura congruit, cum tanto applauſu ab omnibus Eccleſijs receptus eſt, & paucis annis ſæpiſsimè in Germania, Sabaudia, Anglia, & Belgica excuſus ſit, & nunc omnium piorum manibus teratur. In hoc libro omnes penè controverſiæ, quæ hoc tempore in Eccleſia moventur, breviter, perſpicuè, doctè, & ſolidè ſecundum analogiam fidei, ex verbo Dei ita definitæ ſunt, ut

qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

qui hūc commētariū edidicit, de omnibus illis ſtatuere poſset, & quid fugere debeat. Et quia a paucis quibuſdā irrequietis ingenijs quædā diſſentionum ſemina in quibuſdam articulis, puta de Prædeſtinatine, de Libero arbitrio, & de Cœna domini ſeminata erant, dederunt iſti Heroes operam, ut illa funditus tollerentur. Hæc enim doctrinæ capita ita explicarunt in illo commentario, ut inter Scripta magni illius Philippi Melanthonis, & Ioannis Calvini, nulla diſſentionis ſuſpicio ſupereſſe videatur. Cum enim Calvinus quibuſdam duriuſculè, & Melanthon contra quibuſdam molliuſculè loqui videretur, atque ita Sabaudicæ Eccleſiæ, quæ Calvinum à Germanicis, quæ Melanchtonem ſequebatur, non re vera diſſentirent, ſed tantum diſſentire viderentur. Explicuerūt Vrſinus & Paræus hæc capita tā dextrè, ut Genevenſes fratres in ijs acquierint, & Melanchthonis diſcipuli, Strigelius, Pæzelius, Mullerus, Peucerus, Anholtini Theologi Herbrādus, Pierius, Widebrandus, Crucigerus, Rhodingus & alij ſibi per omnia ſatisfactum eſſe fateantur. Propter hanc unam cauſam debemus hunc commentarium in magno honore habere. Ego ſanè meis auditoribus auctor ſum vt eum non ſolum diligēter legant, ſed ad unguem ediſcant, ut definitiones, & quæſtionum explicationes, diviſioneſque in eo poſitas fideliter retineant, & conſtanter ſequantur. Nā certè hic a multis erratur, dum novas definitiones cudunt, & novas explicationes, deciſioneſque quæſtionum comminiſcuntur: non enim eſt cuiuſlibet novas rerum definitiones condere, aut controverſias motas recte explicare & decidere. Sed tantum doctiſsimi exercitatiſsimique artifices in hac re cum laude laborarunt. Recte igitur faciunt, qui eorum labores grato animo amplectuntur, & ſequuntur. In alijs diſciplinis vitio vertitur, ſi quis novas definitiones comminiſcatur, & in Theologia erit laudabile ſemper novas condere, veteres reſpuere, & ita ſe ipſum, & alios incertos reddere?

Hi duo Heroes habent multa in hoc commentario, quæ Catecheticis verbis non continentur: fateor. Ita enim iſtam puerilē doctrinam explicarunt, ut iuvenes theologiæ candidati, cum illum commentarium bene didicerint, digni iudicentur eſſe, qui alios in Scholis doceant, atque erudiant. Sed tamen nihil habent in ſuo commentario, quod cum ipſa Catecheſi pugnat, quin omnia, quæ commentario illo comprehenſa ſunt, cum illa recte conſentiunt, atque cohærēt. Atque hoc exemplū omnes Profeſſores, qui Catecheſin explicandum ſuſcipiunt, ſequi debent. Vt enim turpe eſt doctori explicationem afferre, quæ cum textu non congruit, ita omnibus Catechetis vitio

vertitur,

vertitur, ſi attulerint gloſſam, quæ textui Catecheſeos adverſatur. De te certè ſpero & confido, tuos commentarios quibus Catecheſin explicas, ita inſtitutos eſſe, ut cum Catecheſi congruant. Ego idem conatus ſum facere, & adhuc facio. Atque hic me verum dicere teſtabuntur aliquando commentarij mei, ſi tamen unquam lucem aſpecturi ſint. Nam ut dicam quod res eſt, Vrſino Paræanus commentarius vix permittit ut meos in lucem edam. Nam quod Cicero dicit C. Cæſarē ſuis commentarijs ſanos viros ab ſcribenda hiſtoria abſterruiſſe. Ita ego dicere poſſum Vrſinum & Paræum ſuis catecheticis explicationibus abſterruiſſe viros prudentes, ne poſt illos in Catecheſin commentarios conſcribant & in lucem emittant.

Bertius.

Sed putas fortè hæc *aſponda* eſſe atque *aſyſtata*, ab eoque qui altetutrum ponit, neceſſariò everti alterū. Scio eſſe, qui ſic opinentur. Cæterum quid illis facias, qui quod nō capiūt, protinus falſum putant, quaſi nimirum verum, quod mentis meæ non concipit anguſtia, minus idcirco verum ſit?

Lubbertus.

Sanè *aſponda* hæc ſunt & *aſyſtata*: Scriptura enim docet eſſe tantum unam iuſtitiam, qua coram Deo iuſtificemur, videlicet obedientiam Chriſti Rom. 5. 19. *Per unius obedientiam iuſti conſtituentur multi.* Rom. 3. 24. *Juſtificamur gratis, ipſius gratia, per redemtionem factam in Chriſto Jeſu.* Rom. 5. 9. *Juſtificati eius ſanguine.* Tu vero doces nos duabus iuſtitijs ijſque perfectis, una Chriſti, altera noſtra iuſtificari, ut in progreſſu patebit. Eadem Sacra Scriptura docet nos non iuſtificari operibus Rom. 4. 6. *Beatus homo cui Deus imputat iuſtitiam abſque operibus.* Tit. 3. 5. *Non ex operibus quæ fecerimus nos, ſed ex ſua miſericordia ſervavit nos* Rom. 4. 2. *Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet quod glorietur, at non apud Deum.* Tu vero dicis nos uno opere noſtro, nempe fide propriè accepta iuſtificari. Eadem Scriptura reijcit iuſtitiam noſtram, hoc eſt, illam quæ in nobis eſt, & tantum approbat iuſtitiam, quæ eſt per fidem Chriſti. Philip. 3. 9. *Ut reperior in eo non meam iuſtitiam, nempe quæ eſt ex lege, ſed eam quæ eſt per fidem Chriſti.* Tu vero dicis fidem tuam, hoc eſt, illam quæ in te eſt haberi a Deo pro perfecta legis iuſtitia, illamque eſſe eam iuſtitiam qua coram Deo iuſti conſtituimur. Addis iuſtificare eſſe huius fidei univerſale *Páthos*. Hæc omnia mi frater ſunt *a-*

ſponda

aſponda & *aſyſtata*, & quia es admodum verſatus in ſacris literis, & in Philoſophia, præſertim in Metaphiſica & Logica, vide an hæc conciliare poſsis. Nam quas tu conciliationes in fine huius ſcripti ponis, illæ nodum magis implicant, quam ſolvunt. Non quia nos tuam opinionem nō capimus, eam falſitatis arguimus: ſed quia cum ſacris literis pugnat, nos eam ut falſam reijcimus. Neque eſt, quod tu in iſtis duabus iuſtificationis rationibus conciliandis labores. Doce nos prius; ſed doce ex Scriptura, nam aliud principium chriſtianorum dogmatum non agnoſcimus. Doce inquam ex Scriptura, Deum habere fidem credentis pro perfecta legis iuſtitia. Doce ex eadem Scriptura. Fidem propriè dictam, eſſe illam iuſtitiam quâ coram Deo iuſtificamur. Doce ex eadem Scriptura nos iuſtificari duabus iuſtitijs, ijſque differentibus, & in diverſis ſeparatiſque ſubiectis exiſtentibus, una in Chriſto, altera in nobis.

Niſi hæc ex Scriptura probaveris vera eſſe, fruſtra inculcaveris, nos quædam, etiā quæ ingenio noſtro capere non poſſumus, credere debere. Nam etſi ingenio noſtro capere non poſsimus, quomodo mundus ex nihilo factus ſit? quomodo Deus homo factus ſit? quomodo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſint tres diſtinctæ perſonæ, & tamen unus eſſentia Deus? Tamen quia hæc ſcripta ſunt, libenter credimus hæc vera eſſe. Doce nos claris & perſpicuis verbis in Scripturis ſcripta eſſe illa tua quæ modo annotavi dogmata. Cum hoc feciſti, expoſtula nobiſcum, ſi aſſenſum noſtrum adiungere nolimus.

Bertius.

Ego verò ea mihi religione Scripturas tractandas ſemper ratus ſum, ut quod ipſæ exſertè ponunt, ponerem: ſive id ſtatim intellectus meus aſſequeretur penitus, ſive non; putoque adhuc in ingenua ignorantiæ noſtræ confeſsione multarum rerū ſcientiam, plurimarum verò concordiam, omnium ſanè reverentiam ſitam eſſe.

Lubbertus,

Hoc dicto nihil abſurdius dici poteſt. Scriptura enim exſertè dicit Deum habere *manum*, *brachium*, *oculos*, *nares*, *aures*, *viſcera*. Si hinc cum Anthropomorphitis inferes Deum eſſe corporeum, impinges. Eadem dicit Chriſtum eſſe *Petram*, *Agnum*: Si hoc propriè, ut verba ſonant, accipies, dignus es qui in Petram & Agnum transformeris. Ad hæc ſi omnia illa pones quæ exſerte Scriptura ponit, uno momēto omnes tropos ac figuras è Scriptura profligabis, & omniū rerum confuſionem in orbem Chriſtianam introduces: Proinde non tam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

videndum eſt quid Scriptura dicat, quam quo ſenſu dicat. Scriptura enim in falſo ſenſu accepta non Scriptura, ſed inane cerebri humani commentum eſt. Deindè nuſquam Scriptura exſertè ponit, fidem noſtram propriè acceptam eſſe illam iuſtitiam, qua coram Deo iuſtificamur; neque docet nos per unum fidei actum propriè acceptum iuſtos conſtitui apud Deum; neque docet nos iuſtificari duabus iuſtitijs, ijſque diverſis & in ſeparatis ſubiectis inhærentibus: una in Chriſto, altera in nobis: neque docet nos poſtquam per fidem, hoc eſt, inhærentem iuſtitiam noſtram, eamque perfectam, perfecte iuſti facti ſumus, a Deo per obedientiam Chriſti iuſtificari. huiuſmodi autem dogmata contra & extra S. Scripturam excogitata Scripturæ affingere non minor profanatio eſt Sacrarum Scripturarum, quam bonam Scripturæ partem negare.

Bertius.

Quod ſi reijcienda ſunt omnia, quæ conciliari non poſſunt, age quæſo in hoc ipſo argumento de iuſtificatione, quomodo obedientiam Chriſti activam cum paſsiva compones? neque enim ignoras hanc ipſam D. Piſcatori, alijſque neque indoctis, neque profanis viris cauſam fuiſſe, cur altera tantum obedientia mortis, inquam, ſiue victimæ (quam vocant iuſtitiam paſsivam) opus nobis eſſe ad iuſtificationem, fuerint arbitrati.

Lubbertus.

Inter Helveticas, Subaudicas, & Saxonicas Eccleſias nulla unquam fuit diſſentio in doctrina de iuſtificatione. Imò in hac re non tan-tum non vel leviſsima diſſenſionis ſuſpicio fuit inter *Lutherum, Melanchthonem, Bucerum, Brentium, & Calvinum, SWinglium, Bullingerum, Oecolampadium*, ſed ſumma etiam inter illos quoad hoc doctrinæ caput concordia & conſenſus fuit. Ab eo tempore quidem Theologi non ſatis exercitati voluerunt novas definitiones cudere, ad illas explicandas opus nobis fuit novis phraſibus. Ex his nata eſt quædã diſſentionis ſuſpicio. ſed hanc prudenti conſilio oppreſsit Magnus ille, quem antea nominavi Zacharias Vrſinus in Catecheticis de iuſtificatione Q. 4. Iuſtitia noſtra quâ iuſti ſumus coram Deo in hac vita non eſt conformitas noſtra cum lege Dei, non bona opera, non fides, ſed ſola ſatisfactio Chriſti præſtita legi pro nobis: ſeu pœna quam ſuſtinuit Chriſtus pro nobis. Hæc conciliatio probatur Eccleſijs Belgicis, ita enim plerique qui in his fœderatis provincijs Evãgelium docent loquuntur, cum hoc myſterium explicant. Eandem

hanc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

hanc conciliationem placere Eccleſijs Gallicis, & Britannicis, ut de alijs nihil dicam, inde conſtat, quod Commentarij Vrſini in Catecheſin Palatinam, & Londini & Genevæ recuſi ſint. Hæc veſtigia Vrſini ſequutus eſt doctiſsimus Paræus in epiſt. ad Ro. cap. 5. verſ. 19. fol. 514. *De hac ſingulari obedientia Mediatoris propria, propriè hic loquitur Apoſtolus, quod dum aliqui non obſervant de obedientia Chriſti activa & paſſiva inanes rixas movent. Atqui univerſa Chriſti vita quid fuit niſi perpetua quædam paſſio, quam morte tandem conſummavit pro nobis? Morte expiandum erat peccatum, ut Deus iuſtè iuſtificaret impios: quia absque ſanguinis effuſione nulla potuit fieri remiſſio. Morte Mediatoris opus erat ut verax eſſet Dei comminatio, Morte morieris. ad mortem igitur & ſãguinem Chriſti nos ducit universa Scriptura. Hæc obedientia illud eſt, quo iuſtitiam imputari nobis Chriſtus meruit. Generalis integritas Chriſti divina & humana illud eſt, ſine quo iuſtitiæ imputationem nobis Chriſtus mereri non potuit; niſi enim ſanctus & impollutus in ſe fuiſſet, pro nobis victima fieri, nobisque veniam peccati & imputationem iuſtitiæ mereri non potuiſſet.* Hoc iudicium Paræi Genevenſibus placuiſſe inde patet, quod liber Genevæ recuſus eſt.

Idem Paræus in ad Heb. cap. 5. verſ. 7. pag. 223. *Hæc eſt illa obedientia qua Paulus noſter Rom. 5. 19. dicit iuſtificari multos. Diſputant aliqui de obedientia, activa an paſſiva fuerit? Quid ni fuerit utraque. Agendo enim & patiendo Chriſtus obediens fuit patri uſque ad mortem. Hoc ſaltem obſervetur, non de generali obedientia Apoſtolum hic & ibi loqui, quâ tota vita fuit conformis Legi Chriſtus: ſed de ſpeciali obedientia Chriſti, quâ ſe Patris voluntati de redimendo per mortem genere humano voluntariè ſubiecit. Hac ſpeciali obedientia Chriſti verè expiata eſt ſpecialis inobedientia Adæ. Vt enim hæc fuit ſpecialis legis transgreſſio: Non comedes de fructu, ſic illa fuit ſpecialis voluntatis impletio, ut pro nobis fuerit victima: de qua voluntate ſpeciali infra cap. 10. ex Pſalmo 40. 7. dicitur. Ecce adſum ut faciam voluntatem tuam: & verſ. 10. Hac voluntate ſanctificati ſumus. Specialis vero huius voluntatis impletio univerſalem obedientam, & conformitatem cum lege univerſali neceſſario ut cauſam ſine qua non ſupponebat, & requirebat.*

Quod ad clariſsimum virum Ioannem Piſcatorem attinet, illi fit iniuria, nuſquam enim ſcripſit, altera tantum obedientia mortis, inquam, ſiue victimæ (quam vocant iuſtitiam paſsivam) opus eſſe nobis ad iuſtificationem, ſed contrarium docet, diſertè enim ſcribit in epiſtolam ad *Vapineenſes, Obedientiam vitæ neceſſarium requiſitum ad iuſtificationem nobis promerendam.* Facile igitur hæc quæſtio conciliari poteſt. Quod ad noſtras Eccleſias attinet illæ (Deo gratia) hic (quantum mihi quidem conſtat) nullum ſcrupulum movent, ſed in hac doctrinæ parte conſenſum colunt cum Eccleſijs illis, quæ Augu-

 ſtanam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

ſtanam, & item cum illis quæ Helveticam & Gallicam confeſsionem ſequuntur.

Cæterum compertum eſt Harminium libenter arripuiſſe hanc diſſentionis ſuſpicionem de activa & paſsiva iuſtitia. Nam cum Franciſcus Gomarus Hagæ Comitum ſuperiori æſtate ſuam ſententiam de iuſtificatione ex Sacra Scriptura explicuiſſet: & Harminius item ſuam ſententiam explicare deberet, tergiverſabatur, & hanc quæſtionem concitare volebat. Nam cum explicare deberet, quænam eſſet illa iuſtitia, quâ credentes coram Deo iuſtificantur, proponebat 6. quæſtiones, & inter cætera quærebat, an non Chriſti iuſtitia eſſet triplex; ſc. Naturæ, vitæ, & mortis, & an triplex illa iuſtitia homini ad vitam imputaretur? Hoc autem faciebat, ut ad iuſtum controverſiæ ſtatum non adigererur. Nam quemadmodum Neuſerus & Syluanus Heydelbergæ fovebant litem de diſciplina Eccleſiaſtica, ut ſub illo prætextu Arrianiſmum in Eccleſias Palatinas introducerēt: ita Harminius quæſtionem de activa & paſsiva iuſtitia: ut ſub hoc prætextu damnatos Serveti & Socini furores in Eccleſias Belgicas introduceret. In hoc ſtratagemate Harminius magiſtrum habet Socinum. Nam & hic libro 4. cap. 5. & 8. quæſtionem de activa & paſſiva iuſtitia callidè movet, ut noſtros doctores inter ſe committat, & ille noſtris doctoribus diſſētiētibus ſuum virus efficaciter ſerere poſſit. Moneo igitur & obteſtor omnes doctores, & paſtores, qui ſunt in fœderatis Provintijs Belgicæ, ut ab his ſcopulis ſibi caveāt, & ut inter ſe fraternam concordiam, & in hoc doctrinæ capite primario conſenſum colere velint, ut coniunctis ſtudijs & viribus Servetianos & Socinianos furores ab Eccleſijs reformatis arceant & repellant.

Bertius.

Sed de conciliatione poſterius videbimus. Nobis enim prima de veritate cura eſſe debet. Secundaria de verorum inter ſe conſpiratione, conſenſu. Non poteſt enim a concordia longè abeſſe, qui verū nactus eſt, cum verum a vero diſſentire non poſsit, & ut loquitur Philoſophus *'anágke toô keimènoô' alæthеî panta synádein tà 'yparchonta*, id eſt, poſitæ veritati omnia concinant neceſſe eſt.

Lubbertus.

Omnium Chriſtianorum dogmatum ſolū & unicum fundamentum eſt verbum Dei, Propheticis & Apoſtolicis literis comprehenſū. In hoc igitur uno & ſolo Dei verbo huius dogmatis veritatem inveſtigemus & dijudicemus.

Bertius.

Bertius.

Examinemus igitur, ſi placet, illud quod tantopere diſplicet in theſi. dixi *Fidem per gratuitam acceptilationem Dei in Chriſto haberi pro omni legis iuſtitia, quam nos præſtare tenebamur.*

Lubbertus.

Faciamus hoc ipſum diligenter, quia ita tibi placet.

Hæc theſis duas habet partes.

Vnam; *Fides habetur à Deo pro omni legis iustitia quam nos præſtare tenebamur.* Alteram; *Hæc dignitas non convenit fidei ex natura ipſius, ſed ex gratuita Dei acceptilatione.* Vtraque hæc propoſitio autorem habet Servetum, Socinum, & Oſtorodũ. Ac licet hoc ante oſtendimus, tamẽ illud etiam hoc loco repetemus, ut res ſit lectori in recenti memoria, & ut noſtri fratres videant nobis ignotum non eſſe, quorum vitulis arent, dum hæc doctrinæ ſemina in cœtibus noſtris ſeminare contendunt. Illam docet Servetus lib. 2. de Lege & Evangelio, ut eſt apud Calv. in refutatione errorum Michaelis Serveti fol 903. Eius verba hæc ſunt. *Suum credere imputatum fuiſſe Abrahæ ad iuſtitiam.* Et *Abraham fuiſſe iuſtum propter unum fidei actum.*

Eandem docet Socinus de Chriſto Servatore fol. 386. eius verba hæc ſunt. *Fides in Chriſtum nos iuſtos coram Deo conſtituit.* Et fol. 388. *Iam Deo confidere ſemper hominem pro ipſius Dei benignitate iuſtum coram ipſo reddidit. Fragalitatis namque humanæ miſertus Deus clementiſſimus, quamvis omnia eius præcepta perpetuò exactiſſimè non conſervemus, id quod ad própriam & abſolutam iuſtitiam ſemper neceſſarium eſſet, pro perfectè iuſtis, nihilominus tamen nos haberi voluit, dummodo ipſi confidamus, id eſt, ex animo obedientes omnem ſpem noſtram in ipſo collocemus.* Et fol. 396. *Iuſtificamur fide in Chriſtum, quatenus Chriſto confidimus.* Et fol. 398. *Fides per ſe nos iuſtificat.*

Eandem docet Oſtorodus diſputatione contra Georgium Tradelij fol. 251. eius verba hæc ſunt. **Es iſt notig daſſ noch et was in uns geſundeth werde darumb uns Gott ſalig macht/ nemblich der Glaube an Chriſtum.** Hoc eſt, *Neceſſe eſt ut aliquid in nobis inveniatur propter quod Deus nos ſalvos faciat nempe fides in Chriſtum.*

Ex his, ut ſpero, quilibet videre poteſt autorem huius ſcripti, hanc primam partem mutuatam eſſe a Serveto, Socino, & Oſtorodo. Sed & hanc alteram partem a Serveto, Socino, & Oſtorodo mutuatus eſt. Scribit enim Servetus lib. 2. de Lege & Evangelio, ut eſt apud eundem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Calv. in refutatione errorum Michaelis Serveti fol. 903. *Secundum naturam rei hoc non debebatur fidei Abrahæ, neque noſtræ: ſed ex gratia Dei id ibi factum eſt.* Socinus idipſum docet de Chriſto Servatore fol. 333. eius verba hæc ſunt. *Cum iuſtitiam imputari Abrahæ exemplo docet, cui dubium eſſe poteſt nihil aliud eum ſibi velle, quam non ideo nos iuſtos coram Deo eſſe, quia opera id requirant, ſed quia Deo viſum eſt fidem noſtram iuſtitiæ loco nobis ducere.* Et *Credidit Abraham Deo, & ob eam cauſam ab ipſo pro iuſto habitus eſt.* Et fol. 400. *Fides in Chriſtum, qua iuſtificamur, nec perpetuam, nec ſolutiſſimam præceptorum Dei conſervationem ipsa per ſe continet, nec propria vi iuſtificat, ſed propter Dei clementiam, quæ eiuſmodi opus facientibus, quod ob eam rem Dei opus a Chriſto appellatum fuit: iuſtitiam quantumvis antea iniuſtis imputare dignatus eſt.* Et fol. 128. *Nam & fidei in Sacris literis homines iuſtificandi vis aliqua ratione attributa eſt; non quod fides dignitate ſua & merito hominem in conſpectu Dei a peccatis abſolvat: ſed quia eſt neceſſe ad gratuitam delictorum remiſſionem a Deo conſequendam, ut illi fidem habeamus.* Et fol. 335 *Cum fides noſtra nobis ad iuſtitiam imputatur, ſensus eſt, fidem noſtram pro iustitia haberi.*

Qui plura de hac re ſcire deſiderant, legant Socinum lib. 4. de Chriſto Seruatore cap. 9. 10. & 11. Nam his tribus capitibus Socinus ex profeſſo docet, fidem non relativè ſed propriè accipi, cum illa nobis ad iuſtitiam imputari dicitur, vel cum nos illa iuſtificari dicimur.

Idem docet Oſtorodus diſputatione contra Georgium Tradelij fol. 250. eius verba hæc ſunt. **Ob ich aber wel vnſere gerechtichept den verdienſte Chriſti abſlage/nach dē malle ich ſolchen verdienſt nicht erkenne / noch bekenne. Soo ſlaghe ich doch ſeynen blent vnd thoet nicht ab/ſondnr ſchribe ſie Jhnē zu/ſo fern das ſelbige Bluedt vnd Thoet in vns die dinghen wirket / vmb welcger willen vns Gott richtveerdigen wil/ nemblich den Glauben.**

Hoc eſt, *Etſi noſtri iuſtificationem merito Chriſti detraho (quoniam tale meritum non agnoſco neque cognoſco) tamen non detraho illam ſanguini & morti Chriſti, quatenus ſanguis & mors Chriſti in nobis efficiunt eas res propter quas nos Deus iuſtificat, nempe fidem.* Qui hæc ſine præiudicio leget, facile iudicare poterit, ex quibus fontibus vos veſtra hæc nova, & ante hunc diem in Eccleſijs noſtris inaudita dogmata hauſeritis.

Bertius.

Quæ ſententia ita deducta extenſaque, ſi in paucisſima verba *Kaì elachíſtuus ‘órnus*, ut fieri debet in veri accurata diſquiſitione, contrahatur: valet; *Fidem reputari a Deo pro omni iuſtitia legis. Vel in concreto; Credentem a Deo iuſtificari.*

Lubbertus.

Hæc duo, *Fidem a Deo reputari pro omni iuſtitia legis.* Et. *Credentem a Deo iuſtificari.*

Hæc, inquam, duo idem valere falſiſsimum eſt. Illud enim docet quid fides ſit? Vel, quod idem eſt, pro qua re fides a deo habeatur. Hoc verò docet quiſnam iuſtificetur? Illud non eſt ſcriptum; hoc eſt ſcriptum, illud eſt falſum; hoc eſt verum. Fides enim noſtra non eſt perfecta legis iuſtitia, neque habetur a Deo pro perfecta legis iuſtitia, neque tu illud nobis in Scriptura legere, neque ulla probabili conſequentia ex Scriptura deducere potes. Si vis huius tuæ aſſertionis autorem, dabo tibi Socinum. Hic ut paulò antè oſtendi de Chriſto Servatore fol. 333. ſcribit. *Cum fides noſtra nobis ad iuſtitiam imputatur, ſenſus eſt, fidem noſtram pro iuſtitia haberi.* Vide ut tu dicis: Hæc duo,

Fides habetur a Deo pro perfecta legis iuſtitia.

Et. *Credens iuſtificatur*

Idem valere. Ita Socinus dicit hæc duo,

Fides noſtra nobis ad iuſtitiam imputatur. Et

Fides noſtra pro iuſtitia habetur,

Idem valere. Iam verò ovum non eſt ovo ſimilius quā ſententia Sociniana eſt ſententiæ tuæ: ſummo igitur iure poſſum dicere vos *Sookiniζein.* Non ignoro inter Socini opinionem, & veſtram eſſe adhuc aliquam differentiam: verumtamen ſi vobis ipſis conſtabitis, & non a vobis diſsidetis, neque quæ poſuiſtis revocabitis, pronuntio vobis, tandem eo deveniendum eſſe, ut Socini blaſphemiam per omnia approbetis, & recipiatis,

Bertius.

Hoc autem theorema (ſiue illud homines admittant ſiue repudient) aio non tantum cum Dei verbo conſentire: ſed ipſiſsimum eſſe Dei verbum. Proinde viderint quid Deo reſponſuri ſint, qui illud audent vel oppugnare, vel per invidiam differre.

Lubbertus

Hic quæſo ut te ipſum excutias. Eſtne hoc theorema ipſiſsimnm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Dei verbum? ubi igitur illud ſcriptum eſt? Cedo autorem. Cedo librum. Cedo caput. Cedo comma, quo illud ſcriptum reperiatur? Quid tergiverſaris? Oſtende ubinam in verbo Dei ſcriptum ſit. *Fidem haberi a Deo pro perfecta legis iuſtitia?* Aut ubi ſcriptum ſit: *Fidem eſſe illam iuſtitiam, qua coram Deo iuſtificamur?* Aut ubi ſcriptum ſit: *Duas eſſe iuſtitias diverſas in diverſis ſubiectis inhærentes; unam in nobis; alteram in Chriſto, quibus coram Deo iuſtificamur.* Sed quid ego te urgeo, ut tu hæc dogmata in ſacris literis legas? Ego auſim affirmare, quod nuſquam ea legeris, quam aut in Serveto, aut Socino, aut Oſtorodo, vel alio quopiam, qui illos ſectatur. Vt ut ſit, falſum eſt, *Fidem haberi a Deo pro perfecta legis iuſtitia.* Deus enim eſt iuſtus, & iudicium eius eſt ſecundum veritatem. Fides autem noſtra eſt tantum exigua pars iſtius iuſtitiæ, quæ a nobis requiritur. Et hæc ipſa fides eſt manca, imperfecta, & multis peccatis contaminata. Vide, ſi eſſet perfecta, tamen illa pro opere ſumta, tantum eſſet exigua pars iſtius iuſtitiæ, quæ a nobis requiritur. Nunc verò laborat multis defectibus, & longiſsimè recedit ab illa perfectione quam lex poſtulat. Qui poteſt igitur fieri, ut ille qui iuſtus eſt, & cuius iudicium eſt ſecundum veritatem, habeat eam rem pro perfecta legis iuſtitia, quæ eſt imperfecta, quæ multis defectibus laborat; & ſi maximè perfecta eſſet, tamen non eſſet niſi exigua pars iuſtitiæ? Dicam paulò plenius. Fides propriè accepta eſt tantum exigua pars iuſtitiæ. Eſt enim nihil aliud quam conſtantia in dictis, & in factis: vel eſt tantum aſſenſus quem ad Dei verbum adhibemus, vel denique eſt aſſenſus, & fiducia ſimul, qua ſcilicet verbo Dei aſſentimur, & in Deo confidimus. Iā autem multa plura in Dei lege mandantur. Eſt præterea imperfecta, laborat multis defectibus, & multis gradibus diſtat ab illa perfectione, quæ in lege Dei ſcripta eſt. 1. Cor. 13. 9. *Ex parte cognoſcimus.* Marc. 9. 23. *Credo domine ſuccurre incredulitati meæ.* Eſt deniq; multis peccatis contaminata. Eccleſ. 7. 2. *Profectò non est quisquam iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Iacob. 3. 2. *In multis labimur omnes.* Vnumquemque credentem docet ſua conſcientia quod multis dubitationibus, hæſitationibus, & ignorantijs laboret. Eſaias dicit nomine totius Eccleſiæ cap. 64. 6. *Eramus ut immundus omnes nos, et tanquam veſtimentum inquinatum omnes iustitiæ* (inter quas & fides quatenus eſt opus recenſeri debet) *nostræ.* Sed Dei iudicium eſt ſecundum veritatem. Rom. 2. 2. *Scimus quod iudicium Dei est ſecundum veritatem.* Num autem ille, qui iudicat ſecundum veritatem & qui in iudicando errare nequit, quique nec fallere, nec falli po-

teſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

teſt, exiguam iuſtitiæ portionem, eamque imperfectã, & multis peccatis contaminatam, habebit, aut habere poterit pro perfecta legis impletione ?

Dicis ſi hoc verum eſt, tum eadem ratione credentes in iudicio Dei pro verè iuſtis haberi non poſſunt. Nam & credentes longè abſunt a regula iſtius iuſtitiæ, quæ in lege Dei deſcripta eſt, & inſuper multis peccatis cooperti, & contaminati ſunt. Dei autem iudicium eſt ſecundum veritatem. Sed ſcire debes Deum tranſtuliſſe credentium peccata in Chriſtũ, Eſai. 53.6. *Jehova coniecit in eũ iniquitates omnium noſtrum.* Horum pœnas pertulit Chriſtus. Eſa. 53.5. *Vulneratus eſt propter prævaricationes noſtras, attritus eſt propter iniquitates noſtras.* Rom. 4.25, *Traditus eſt in mortem propter offenſas noſtras.* 2. Corinth. 5.21. *Fecit ut qui non novit peccatum, pro nobis peccatum eſſet.* Gal. 3.13. *Redemit nos ab execratione legis, dum factus eſt pro nobis execratio.* 1. Pet. 2.24. *Tulit peccata in corpore ſuo ſuper lignum.* Et 3. 18. *Chriſtus ſemel pro peccatis mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis.* Hac pœnarum perpeſsione pro nobis ſatisfecit. Math. 20. 28. *Filius hominis dedit animam ſuam redemtionis prætium pro multis.* 1. Tim. 2. 6. *Ipſe dedit ſe ipsum redemtionis prætium pro omnibus.* Per hanc redemtionem a Chriſto pro nobis factam iuſtificamur. Rom. 3,24. *Juſtificamur gratis*, hoc eſt, *eius gratia, per redemtionem in Chriſto Jeſu.* Ro. 5.10. *Reconciliati ſumus Deo per mortem filij ſui.* Hinc dicit Scriptura. *Nos ſanguine Chriſti iuſtificari.* Rom. 5.9. *Obedientia Chriſti iuſtos conſtitui.* Rom. 5. 19. Vno verbo, iuſtitia, ſive obedientia Chriſti nobis per fidem applicata, ſiue imputata accipimus remiſsionem peccatorum, & iuſti in iudicio Dei pronuntiamur, non in nobis, ſed in Chriſto, 2. Cor. 5. 21. *Vt nos iuſtitia Dei efficeremur in ipſo.* Auguſt. Enchridio cap 4. *Ipſe ergo peccatum, ut nos iuſtitia, non noſtra, ſed Dei; non in nobis, ſed in ipſo; ſicut ipſe peccatum, non ſuum, ſed noſtrum, non in ſe, ſed in nobis conſtitutum, ſimilitudine carnis peccati, in qua crucifixus eſt, demonſtravit.* Sed nuſquam tale quid de fide legimus: neque enim Chriſtus pro fide mortuus eſt, neque pro fide prætium redemtionis ſolvit, neque fidem Deo reconciliavit, neque fidem ſua obedientia iuſtam conſtituit: ut verè cum Scriptura dicere poſſumus, homines credentes, etſi multis peccatis contaminati, tamen propter obedientiam, ſiue iuſtitiam Chriſti illis imputatam, iuſtos conſtitui, Vt ſimul verè cum eadem Scriptura dicere poſſimus, nuſquam ſcriptum eſſe, fidem noſtram, quæ tantum exigua iuſtitiæ noſtræ portio eſt, quæque imperfecta eſt, & multis peccatis contaminata, in recto &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

iuſto Dei iudicio haberi pro perfecta,& omnibus numeris ſuis abſoluta legis impletione. Ac proinde illam doctrinam de acceptatione credentis pro iuſto eſſe *Orthodoxam*,& ſacris Scripturis congruentem: Hanc verò de acceptatione fidei pro perfecta legis iuſtitia eſſe *Heterodoxam*, & a ſacris Scriptis alienam. Equidem Papiſtæ,qui etiam dicunt nos per fidem,quatenus eſt opus noſtrum iuſtificari,ſunt vobis hac in re prudentiores. Dicunt enim fidem non eſſe totam ac perfectam iuſtitiam,ſed eius tantum initium,ut ante oſtenſum eſt. Qui mediocriter in Scriptura exercitati ſunt, ſciunt promiſsionem non eſſe factam fidei, ſed homini: ijdem ſciunt gratiam non imputari fidei, ſed homini, ac proinde longè aliud eſſe dicere, *Deus ex gratia habet Fidem pro perfecta legis iuſtitia*: Et item aliud, *Deus ex gratia iuſtificat credentem*. Qui item vel mediocriter in Scriptura exercitati ſunt,ſciunt nuſquam ſcriptum eſſe, *Deus habet fidem pro perfecta legis iuſtitia.* Quicquid dicat autor huius ſcripti. Sed de hac re in progreſſu plenius.

Bertius.

Explicemus tamen hoc ipſum diligentius, quod priuſquam fiat, velim mihi iſta concedi, quæ per ſe *autopiſta* eſſe arbitror. Primò, *Fidem eſſe habitum, quo promiſſiones Dei, ipſumque in primis Chriſtum, certa notitia, aſſensu & fiducia amplectimur, eiuſque actum eſſe credere.*

Lubbertus.

Dum hanc ſuam aſſertionem explicat. Dicit *Fidem eſſe habitum, quo promiſſiones Chriſti, ipſumque Chriſtum amplectimur.* Sed hæc inter ſe pugnant. Nam ſi fides nos iuſtificat accipiendo promiſsiones Chriſti,& ipſum Chriſtum: tum fides non eſt ipſa iuſtitia, qua coram Deo iuſtificamur. Eſt enim impoſsibile ut fides ſit inſtrumentum iuſtitiæ accipiendæ; & ſit ipſa iuſtitia per fidem accepta ſimul. Iam verò obedientia Chriſti eſt illa iuſtitia, quâ nos apud Deum iuſti conſtituimur Rom.5.19. *Vnius obedientia iuſti conſtituentur multi.* Huius accipiendæ inſtrumentum eſt fides. Ergo non eſt ipſa iuſtitia quæ per fidem accipitur. Ratio eſt manifeſta. Illa enim iuſtitia, quæ coram Dei tribunali conſiſtere poteſt, & propter quam nos a Deo pronunciamur iuſti, debet perfecta,& omnibus numeris abſoluta eſſe. Neq; iuvat enim, quod dicit, *illam a Deo haberi pro perfecta legis iuſtitia,* hoc enim eſt falſum, neque uſquam in Scriptura ſcriptum reperitur. Ante oſtendi hoc ex Serveti & Socini & Oſtorodi blaſphemijs deſumtum

eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

eſſe.Deinde nulla probabili ratione probari poteſt, Deum in illo rigido,iuſto, & exacto iudicio nos pronuntiaturos eſſe iuſtos, propter illud,quod neque perfectè iuſtum eſt, & a legis perfectione ſæpè longiſsimè recedit.

Sed neque conſcientiæ noſtræ tranquillari poſſunt, ſi nos propter illud,quod ipſum neq; perfecte iuſtum eſt, & a legis perfectione longiſsimè recedit iuſtificari dixeris. Qui poſſumus enim perfectè iuſti conſtitui propter illud, quod ipſum non perfectè iuſtum eſt,& ob eam cauſam veniæ indiget?

Addit. *Credere eſſe actum fidei.* At infrà ſcribit. *Juſtificare eſſe actum fidei.* Neque hoc tantum: ſed ſcribit *Iuſtificare eſſe univerſale pathos fidei.* Hæc certè non cohærent. Nam ſi credere eſt proprius fidei actus; tum iuſtificare eius proprius actus non eſt, niſi eò abſurditatis prolabi velis,ut dicas unum,& eundem animi habitum habere duos actus,eoſque proprios.

Bertius.

Poſtea *chaſchab' logiZestai,reputare,æſtimare, aſſcribere,acceptumferre, & ut Tertulianus loquitur deputare*: utque vulgò (ſed minus aptè propter *Tò'omónymon) imputare.* idem valere, præſertim cum dicimus aliquid alicui reputare in vocesque has ſumtas eſſe ab Arithmeticis, quorum propria ſunt, *putare, computare, ſupputare.* Galli ut habent notæ Bezæ *tò logíseſtai* dicunt *alloner, & recepuoir en compte.* Nos valde emphatice **toerekenen** / denique *tò dikaion* eſſe *'ènnomon* & iuſtitiam legis complementum.

Hiſce ſingulis excuſsis patebit bona fide,ac non per rethoricationem aut figuram factam eſſe a nobis brevioris, ſimpliciorisq; ſententiæ explicationem. Componantur enim *Sústoíchoos* ſingula.

Fides	*reputatur*	*in iuſtitiam.*
Fides	*per gratuitam ac*	*omni legis*
	ceptilationem Dei	*iuſtitia quam nos*
	inChriſto habetur pro	*præſtare tenebamur.*

Videſne ut ſingulis ſingulæ conveniunt.

Lubbertus.

Neutrum ſcriptum eſt in ſacris literis. Hoc poſterius ſcriptum non eſſe tu ipſe non obſcure confiteris: aut ſi confiteri non vis, non ignoras tibi affirmanti id ſcriptum eſſe, incumbere probationem;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Lege igitur illud nobis in Scriptura, & ut antea dixi, nomina autorē,
nomina librum, nomina locum, ubi ſcriptum exſtet: niſi feceris, po-
terimus illud eadem facilitate reijcere, quam a te aſſeritur. Sed ne-
que illud Prius ſcriptum eſt. Quod ut videas, excute mecum iſta
loca, quibus hanc phraſin reperiri putas. Ac primum Moſes di-
cit lib. 1. cap. 15. com. 6. *Credidit Abraham Deo & imputatum est il-
lud ei ad iustitiam.* Deinde Apoſtolus ſcribit ad Rom. 4. 3. *Credi-
dit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Et verſ. 5, *Ei vero qui
credit in eum qui iuſtificat impium imputatur fides ſua pro iuſtitia.* verſ. 6. *Be-
atus homo cui Deus imputat iuſtitiam abſque operibus.* verſ. 9. *Dicimus enim
quod imputata fuit Abrahæ fides pro iuſtitia.* verſ. 11. *Vt imputetur etiam ip-
ſis iuſtitia.* verſ. 23. *Quod hoc imputatum fuerit ei.* verſ. 22. *Quapropter
hoc etiam imputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Iacob. 2. 32. *Credidit Abraham Deo,
& imputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Atque in hunc vel illum modum ſem-
per legimus in Scriptura: nuſquam autem legimus illam formulam
quam tu ponis, *Fidem imputari pro iuſtitia*: ſed ubique dicit cum ad-
ditione perſonæ, videlicet, *fidem imputari credenti, huic, illi, ad iuſtitiam.*
Eſt autem inter has duas loquendi formulas maxima differentia. In
illis enim formulis, quas *Moſes, Paulus, & Iacobus ponunt* diſcimus
quid Deus conferat homini credenti, videlicet, iuſtitiam Chriſti. Hac
tua formula vis oſtendere quid Deus conferat fidei noſtræ, videlicet,
quod illam ex gratuita acceptilatione habeat pro perfecta legis iuſti-
tia, hoc eſt, quod imputet ei iuſtitiam perfectam & abſolutam; ut
qui fidem habet, habeat perfectam iuſtitiam ſibi inhærentem. Sed
Deus nuſquam promiſit ſe fidei noſtræ tale quid imputare velle, hoc
eſt, nuſquam promiſit ſe fidem noſtram pro perfecta legis iuſtitia ha-
biturum eſſe. Sed quicquid promiſit, promiſit homini credenti,
videlicet, ſe velle credenti iuſtitiam ſui filij imputare. Vno verbo. Scri-
ptura dicit Deum habiturum eſſe credentem pro iuſto, propter iuſti-
tiam Chriſti ipſi imputatam. Tu dicis Deum habiturum eſſe fidem
tuam pro perfecta legis iuſtitia. Eſt autem inter hæc duo, ut iam
dixi, magna differentia. Tua enim propoſitione contendis, Fidem,
etſi per ſe, & in ſe infirma eſt, atque imperfecta, & ob eam cauſam in-
digna, quam Deus vita æterna remuneretur: tamen propter gratu-
itam Dei acceptilationem ad iſtam dignitatem a Deo evehi, ut habe-
atur ab ipſo pro tota & perfecta legis iuſtitia. Illa verò *Moſis, Pauli,
& Iacobi* propoſitione docetur, Deum ex mera benignitate evehere
peccatorem credentem ad iſtam dignitatem, ut illum gratis iuſtificet,
vel quod idem eſt, ut illum habeat pro iuſto. Illa tua propoſitio ex-
ſtructa eſt ex blaſphemijs *Serveti, Socini, & Oſtorodi* ut ante oſtenſum
eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

eſt. Hanc verò ex ſcriptis Moſis, & Apoſtolorum, ut plurimis locis ex veteri & novo Teſtamento deſcriptis demonſtravi.

Bertius.

Quia verò iuſtificare, eſt reputare pro iuſto, adſcribere inter iuſtos inque eorum claſſem referre, quod peccatori non poteſt contingere niſi præcedente abſolutione, & remiſsione peccatorum: fit ut hui effato Deus iuſtificat credentem, illud æquipolleat: Deus per gratuitam acceptilationem fidem peccatoris habet pro omni legis iuſtitia: vel Deus credentem abſolvit, neque imputat ipſi peccata, ipſumque adeo inter iuſtos adſcribit.

Lubbertus.

Dicis has duas propoſitiones,

Deus iuſtificat credentem. Et

Deus per gratuitam acceptilationem habet fidem pro perfecta legis iuſtitia. æquipollere.

Nos ante oſtendimus, quam vana hæc ſit tua aſſertio: Nunc idipſum plenius oſtendemus. Illa docet Scriptura, quid Deus conferat homini credenti: Hac verò tua propoſitione tu doces, quo loco Deus habeat fidem noſtram. Qui poſſunt æquipollentes propoſitiones eſſe, ubi prædicata ſunt tam diverſa? Vel qui poſſunt iſtæ propoſitiones æquipollentes dici, quæ loquuntur de tam diverſis & diſsimilibus rebus? Ad hæc illa prior habet Deum autorem, & eſt vera: Hæc poſterior habet Socinum autorem, ut ante oſtenſum eſt, & eſt falſa. Pugnat enim exſertè cum ſacra Scriptura. Deus enim in Scriptura ſua diſertis verbis negat illos ex operibus iuſtificari, qui totam & univerſalem legem non perfectè præſtiterit, Deut. 27. 28, *Maledictus, qui non ſtatuerit verba legis iſtius, faciendo illa.* Gal. 3. 10. *Execrabilis omnis, qui non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis ut faciat ea.* Iacob. 2. 10. *Quiſquis totam legem ſervaverit, offenderit autem in uno omnibus tenetur.* Calv. in refutatione errorum Serveti fol. 9. 2. *Vitam non uni neque alteri operi promittit Deus, ſed totam legis obedientiam complectitur. Qui fecerit hæc viuet in ijs, qui autem unum legis apicē fuerit tranſgreſſus in eum incumbit certa maledictio, ſecundum illud, Maledictus qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt.* Atque hæc eſt totius noſtræ Eccleſiæ ſententia. Tu vero cum Socino, Serveto, & Oſtorodo uni

 operi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

operi noſtro, eique non perfecto aſſcribis vitam æternam, vel quod idem eſt, dicis nos uno opere, eoque non perfecto iuſtificari. Et audes dicere quod iſtæ duæ propoſitiones æquipolleant Num veritas & falſitas æquipollere poſſunt Non iuvat te quod Scriptura dicit *nos fide iuſtificari*. Nam cum ita loquitur, tum non accipit fidem propriè pro aliquo opere. Scriptura enim non poteſt ſibi ipſi contradicere: Contradiceret autem ſibi ipſi manifeſtario, ſi nos hoc uno opere iuſtificari diceret. Diſertis enim verbis omnibus noſtris operibus vim iuſtificandi detrahit, Rom.4.2. *Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt habet quod glorietur, at non apud Deum.* Et verſ.6. *Beatus homo cui Deus non imputat iuſtitiam abſque operibus.* Tit.3.5. *Non ex operibus iuſtis quæ fecerimus nos, ſed ex ſola miſericordia ſervauit nos.* Tu contra tam manifeſtas Scripturas contendis nos uno opere iuſtificari.

Sed hæ duæ propoſitiones,

Homo non iuſtificatur operibus.

Homo iuſtificatur uno opere,

Simul veræ eſſe non poſſunt; Illa habet Deum autorem; Hæc habet Servetum autorem, & Socinum. Iudica ipſe, Deone in Scriptura tam perſpicuè loquenti, an tibi, Socini, Servetique blaſphemias ſpargenti, fidem adhibere debeamus? Ad hæc; cum Abrahæ operibus vis iuſtificãdi detrahabatur, tum ille habebat fidem; Ergo & fidei Abrahæ ut operi conſideratæ vis iuſtificandi detracta eſt. Nam quod omnibus operibus Abrahæ detrahitur, hoc etiam fidei Abrahæ ut operi conſideratæ detrahitur. Intrepidè igitur pronuntio, fidem in illa propoſitione. *Homo iuſtificatur fide, & Fides imputatur credenti ad iuſtitiam:* propriè pro opere accipi non poſſe.

Bertius.

Iam ſi contracta illa vera ſunt, neceſſe eſt vera quoque eſſe illa diducta.

Lubbertus.

E contrario, ſi hæc contracta, *Fides reputatur in iuſtitiam*, falſa eſt, tum etiam hanc diductam, *Fides per gratuitam acceptilationem Dei in Chriſto habetur pro omni legis iuſtitia*, falſam eſſe neceſſe eſt.

Nos autem oſtendimus utramque falſam eſſe, & clare docuimus Apoſtolum nunquam abſolutè dicere, fidem imputari in iuſtitiam: ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

ſed ubique dicere cum additione perſonæ: Fidem imputari Abrahæ credenti, huic, illi, &c. ad iuſtitiam; at que inde intulimus, iuſtitiam non conferri fidei, ſed conferri credenti. Vide, Scriptura dicit, Deum habere hominem credentem pro iuſto. Nuſquam autem dicit, Deum habere fidem pro iuſtitia. E contrario tu dicis, Deum habere fidem pro iuſtitia; & non dicis Deum habere hominē credentem pro iuſto, ut manifeſtum ſit Scripturam declarare, quid Deus imputet credenti, ut fiat iuſtus. Te verò oſtendere in quo prætio habeat Deus fidem noſtram, & hoc ipſum non ex fontibus Scripturarum; ſed ex ſordibus Serveti, Socini, & Oſtorodi oſtenſum eſt.

Bertius.

Etſi verò ſtabiliendæ veritati poterat ſufficere id quod dixi Scripturæ ipſius has voces eſſe,

Fides reputatur a Deo in iuſtitiam. Et
Deus iuſtificat credentem.

Cuiuſmodi formulæ complures apud Paulum ſparſim leguntur, illiſque ea eſſe *isodúnama*, quæ a nobis poſita ſunt in theſi.

Lubbertus.

Non ſatis eſt, dicere has eſſe voces Scripturæ, ſed debes nobis librū, caput, & comma annotare ubi ſcriptum ſit,

Fides reputatur a Deo in iuſtitiam.
Vel, *Fides per gratuitam acceptilationem Dei in Chriſto habe- pro perfecta legis iuſtitia.*
Vel, *Fides propriè accepta eſt illa ipſa iuſtitia, qua coram Deo iuſtificamur.*
Vel, *Deus iuſtificat nos ob unum opus noſtrum.*
Vel; *Deus nos iuſtificat duabus diverſis iuſtitijs, una in Chriſto, altera in nobis inhærente.*

Lege hæc nobis in Scriptura. Si ea non potes in Scriptura legere, vides ipſe, te non mereri fidem; etiam ſi ad rabiem uſque clames, has eſſe voces Scripturæ.

De *isodúnamia* iſtarum propoſitionum antè dictum eſt, & paulo poſt plura dicemus.

Tamen ut res ipſa,ſubmotis omnibus rebus, quibus obſcurari & contegi contemplatio veri ſolet,apareat manifeſtius,utque illis ſatisfiat,qui aliter multò quam ab Apoſtolo dicta ſunt,ſumunt,docentq; per fidem intelligendum eſſe Chriſtum ipſum,eiuſque iuſtitiam,videtur mihi paulò altius res repetenda eſſe.

Lubbertus.

Illa pia anima Philippus Melanchthon, prævidens ea,quæ nunc fiunt graviter, & verè ſcripſit in prolegomenis in Epiſt. ad Rom. *Video autem & nunc exoriri multa prava ingenia,quæ vel propter curioſitatem,vel propter ambitionē,ea,quæ nunc in Eccleſijs noſtris rectè traduntur,& optima fide & ſimplicitate explicata ſunt,rurſus novis præſtigijs conturbare,& obruere ſtudebunt. Quare propter Chriſtum oro & obteſtor omnes pios,qui in ſtudijs verſantur, ut ſimplicem veritatem patefactam in Eccleſijs noſtris ament, & tueantur,quam quidem quantum poſſum,illuſtrare & munire cupio, ut ad poſteros propagetur.* Expende hoc Philippi dictum diligenter, & vide num te tangat. Sed ad rem. In priori membro huius periodi ſcripſiſti has duas propoſitiones.

Fides habetur a Deo pro omni legis iuſtitia. Et
Deus iuſtificat credentes

Eſſe *isodúnamuusas*.Sed hoc falſum eſt. Poſterior enim docet, Deum iuſtificare credentem abſque operibus,ut antè oſtenſum eſt.Prior verò non docet modum, quo Deus hominem iuſtificet : Sed tantum innuit quid Deus conferat fidei. Hæc eſt exſtructa ex Scriptura,Acto.13.29. *Per hunc omnis qui credit abſolvitur*.Rom.5.1. *Iuſtificati ex fide pacem habemus apud Deum.* Illa verò exſtructa eſt ex blaſphemijs Serveti, Socini, Oſtorodi, &c. et eſt falſa. Non enim fides, ſed obedientia Chriſti, eſt noſtra iuſtitia, qua coram Deo iuſtificamur.Rom.5.19.*Vnius obedientia iuſti conſtituentur multi.* Rom.3.24. *Iuſtificamur gratis,eius gratia per redemtionem factam in Chriſto Ieſu.* Rom.5.9. *Iuſtificati eius ſanguine*.Gal. 3.13. *Redemit nos ab execratione, dum factus eſt pro nobis execratio.* Eſai.53.10. *Poſuit ſe ipſum ſacrificium pro reatu.*Heb.

10.14. *Vnica oblatione conſecravit in perpetuum illos, qui ſanctificantur.* Matth.20.28. *Dedit animam ſuam redemtionis pretium pro multis.* 1. Tim. 2. 6. *Dedit ſe ipſum redemtionis prætium pro omnibus.* Obedientia igitur Chriſti, Sanguis Chriſti, Mors Chriſti, Sacrificium Chriſti, Solutio lytri noſtri a Chriſto pro nobis facta (nam hæc omnia rectè intellecta eodem redeunt) eſt illa iuſtitia, qua coram Deo iuſtificamur. Iam vero fides non eſt obedientia, neque mors, neque ſanguis, neque ſacrificium, neque ſolutio lytri noſtri à Chriſto pro nobis facta. Fidem igitur propriè acceptam eſſe illam iuſtitiam, qua coram Deo iuſtificamur, eſt impoſsibile.

Ad hæc iuſtitia, per quam nos iuſtificamur, illa dicitur eſſe Dei, & eſſe per fidem Chriſti, & a fide diſtinguitur. Rom. 1.17. *Iuſtitia Dei in Evangelio retegitur ex fide in fidem.* Rom. 10. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam.* Sed ſi hæc iuſtitia retegitur ex fide in fidem, tum utique non eſt ipſa fides. Eodem modo Paulus cupit habere illam iuſtitiam, quæ eſt per fidem Chriſti, Phil. 3.9. Sed ſi eſt *per fidē Chriſti,* nemo rectè dixerit, iuſtitiam illam eſſe fidem noſtram.

Præterea fides rectè dicitur illius eſſe, in quo eſt. Rectè enim dicitur fides mea, tua, ſua, noſtra, veſtra, Iac. 2.18. *Oſtende mihi fidē tuam, & ego oſtendam tibi fidem meam.* Math 15.18. *O mulier magna eſt fides tua.* Hab. 2 4. *Iuſtus ex fide ſua viuet.* Si igitur mea fides eſt illa iuſtitia, qua ego coram Deo iuſtificor, tum rectè dicere poſſum, me mea iuſtitia iuſtificari. Sed hoc negat Apoſtolus Phil. 3.9. *Vt inveniar in eo non habens meam iuſtitiam.* Deinde iuſtitia, quæ vera iuſtitia dici poteſt, eſt totius legis obſervatio, vel eſt conformitas cum tota lege. Sed fides non eſt totius legis obſervatio, neque eſt conformitas cum tota lege. Fides igitur non eſt, neque poteſt eſſe illa iuſtitia qua coram Deo iuſtificamur; vel quam iuſto & ſevero Dei iudicio opponere poſſumus. Et quia hæc fides laborat multis defectibus, & eſt imperfecta, quamdiu in hoc mundo peregrinamur, ſequitur, illos ſe ipſos decipere, qui ſe propter hanc fidem proprie ſit dictam iuſtificatos eſſe contendunt. Equidē Deus nuſquā promittit, ſe velle propter unum opus, idque imperfectum, iuſtificare & vita æterna donare: ſed illi qui totam legem præſtitit perfecte promittit vitam Rom. 10. 5. *Qui præſtiterit hæc viuet per illa.* Qui verò ex operibus ſectatur iuſtitiam, & vel unum legis apicem fuerit tranſgreſſus in eum incumbit maledictio. Gal. 3. 10. *Execrabilis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

qui non manet in omnibus,quæ ſcripta ſunt in lib. legis. Iacob. 2.10. *Quiſquis totam legem ſervauerit, offenderit autem in uno, omnibus tenetur.* Veriſsimum igitur eſt quod infert Calvinus, Servetum, & qui illum ſequuntur, *Labefactare gratuitam fidei iuſtitiam. Cum enim propter unum fidei actum dicat Abrahamum fuiſſe iuſtificatum, inde colligere promptum eſt, non ſecus de fidei iuſtitia imaginari Servetum, quam ſi Deus præmium illud operibus iuſtis rependeret. Quid enim aliud eſt iuſtificari propter fidei actum?*

Præterea, ſi fides habeatur a Deo pro perfecta & abſoluta legis impletione, & obſervatione: tum quicunque hanc fidem ſibi inhærentem habet, ille habet perfectam, & omnibus numeris abſolutam legis obſervationem ſibi inhærentem. Nam fides in nobis inhæret. Verum tota Eccleſia in omnibus ſuis membris quotidiè gemit, & petit, *Remitte nobis debita noſtra*, Matth. *6.12.*

Eodem modo omnes iuſti deprecantur Iudicium Dei, Pſal. 130. 3. *Si iniquitates obſervaueris Iah domine, quis ſtabit.* Pſal. 143. 2. *Ne venias in iudicium cum ſervo tuo; quia non iuſtificabit ſe in conſpectu tuo ullus viuens.*

At verò qui perfectam legis iuſtitiam habẽt, illi revera nullum peccatum habent, & ob eam cauſam, nulla urgentur neceſsitate ut peccatorum remiſsionem petant, aut iudicium Dei deprecentur, niſi fortè dicis cauſam. At dicis, vos docetis hominem conſtitui iuſtum obedientia Chriſti, quæ omnibus numeris abſoluta eſt, & perfecta iuſtitia. Ac proindè idem abſurdum ex veſtra ſententia colligi poteſt.

Sed inter noſtram conſequentiam, quam ex illorũ ſententia colligimus, & illam, quam illi ex noſtra ſententia colligunt, eſt magna differentia.

Noſtra enim eſt vera: cauſa huius eſt, quod duo ſunt Dei beneficia, quæ nobis per Chriſtum conferuntur, videlicet. *Iuſtificatio* & *Sanctificatio:* illa a peccatis abſolvimur, & iuſti pronuntiamur coram Deo: hac naturæ integritas, quæ Adami lapſu amiſſa eſt, in nobis reſtituitur. Illa fit in momento, & eſt perfecta in hac vita, Rom. 5.1. *Juſtificati fide pacem habemus apud Deum.* Rom. 8.33. *Quis eſt qui intentabit crimina adverſus electos Dei; Deus eſt qui iuſtificat.* Hæc fit ſenſim, 2. Cor. 4.16. *Etſi externus noſter homo corrumpitur: internus tamen*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

men renovatur de die, in diem. Et non perficitur in hac vita, Rom. 7.24. *Miſer ego homo quis me eripiet ex corpore huius mortis.* Deinde fides ut docent Serveti diſcipuli eſt habitus nobis inhærens, & hæc eadem habetur pro perfecta legis iuſtitia. Sequitur ergo illam iuſtitiam quæ a Deo pro perfecta habetur eſſe habitum nobis inhærẽtem. Qui igitur hanc opinionem defendunt, iactant ſe habere perfectam iuſtitiam, & eam quidem ſibi inhærentem, hoc eſt, dicunt, ſe eſſe perfectè iuſtos, & quidem in ſeſe. Quantulum verò hoc ipſum abeſt à perfecto libertiniſmo?

Bertius.

Vt poterat ipſam quoque fidem credentis a Deo pro iuſtitia cenſeri: vel ut dixit Nazianzenus *dikaiosunæn èinai, kaì tò pisteusài mónon.* Sed ſicut ſæpe oſtenſum eſt, gratia, per meram acceptilationem Dei in Chriſto.

Lubbertus.

Duo dicit. Vnum, *ipſam fidem a Deo cenſeri pro iuſtitia.* Alterum *Hoc fieri per meram acceptilationem Dei.* Sed utrumque eſt falſum; neque uſquam in Scriptura ſcriptum legimus. Deinde ſciendum eſt, utrumque ex Serueto & Socino deſumtum eſſe. Illud docet Socinus de Chriſto ſervatore fol. 333. *Deo viſum eſt fidem noſtram nobis iuſtitiæ loco ducere.* Hoc docet idem Socinus fol. 400. *Fides qua iuſtificamur, nec perpetuam, nec ſolutiſſimam præceptorum Dei conſervationem ipſa per ſe continet, nec propria vi iuſtificat, ſed propter Dei clementiam, quæ eiuſmodi opus facientibus, quod ob eam rem Dei opus a Chriſto appellatum fuit: iuſtitiam quantumvis antea iniuſtis imputare dignatus eſt.* Servetus lib. 2. de Lege & Evang. *Secundum naturam rei hoc non debebatur Fidei Abrahæ, nec noſtræ, ſed ex gratia Dei hoc factum eſt.* Calv. refutat. Michaelis Serveti fol. 903.

Quod ad Nazianzenum attinet ille dixit, ſolum credere per metonymiam eſſe noſtram iuſtitiam: plane eodem modo, quo S. Scriptura dicit, nos fide iuſtificari. Vt enim fides accipitur cum illa iuſtificari dicimur: ita etiam *pisteusai* accipitur cum illud noſtra iuſtitia eſſe dicitur.

Bertius.

Principio autem revocabo tibi in mentem, id quod ignorare non potes, ut peccatori, qui legem præſtare tenebatur, contingat a Deo remiſſio peccatorum, ſive abſolutio, & iuſtitiæ deputatio, requiri iſta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Primo actum Dei dantis Chriſtum, & conditionem ponentis, tum Chriſto, tum homini peccatori. Poſtea actum Chriſti implentis conditionem ſibi datam, hoc eſt, ſatisfacientis legi. Deinde actum hominis agnoſcentis miſeriam ſuam, & amplectentis Chriſtum, conditionemque ab ipſo impletam certa ſibi fiducia applicantis, eoque ipſo præſtantis conditionem ſibi a Deo propoſitam.

Lubbertus.

Dicit, ad noſtri iuſtificationem requiri duas conditiones. Vnam Chriſti: alteram noſtram. Conditionem Chriſto propoſitam eſſe, ut ſatisfaciat legi. Conditionem nobis propoſitam eſſe, ut conditionem a Chriſto impletam amplectamur.

Conditio eſt lex pactioni addita, unde obligationis eventus pendet. Iuſtificationis igitur noſtri conditio, quam Deus nobis poſuerat implendam, eſt aliquid promiſsioni additum, propter quod a nobis præſtitum nos a Deo iuſtificamur. Sed falſum eſt talem ullã conditionem nobis a Deo poſitam eſſe. Nam ſi propter conditionem a Deo nobis propoſitam, & a nobis impletam iuſtificamur; tum utique iuſtificamur propter opera noſtra. Sed hoc diſertè negat Scriptura Rom. 4. 2. *Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet quod glorietur, at non apud Deum.* Rom. 4. 6. *Beatus homo cui Deus imputat iuſtitiam abſque operibus.* Tit. 3. 5. *Non ex operibus iuſtis quæ fecerimus nos, ſed ex ſua miſericordia ſervavit nos.*

Non neſcio quoſdã Theologorum admittere iſtam phraſin, Deus nobis promittit iuſtitiam cum conditione fidei: atque huc allegant illud Rom. 10. 9. *Si credideris ex corde tuo quod Deus eum excitavit ex mortuis, ſervaberis.* Sed ſtudioſus lector ſcire debet iſta phraſi notari modum, quo Deus in iuſtificandis utitur: non conditionem propter quam a nobis præſtitam iuſtificemur. Neque nos repugnamus, ſi quis hac voce in hoc ſenſu uti velit.

Bertius.

Quæ omnia excipit denique ſententia Dei, peccatorem pœnitentem abſolventis, iuſtumq; inſuper pronuntiantis, hac puta formula. Quia tu ò peccator credis in filium meum, qui pro te legi ſatisfecit, remitto tibi gratis peccata tua, teque abſolvo, iuſtumque adeo pronuntio ſecundum Evangelium meum: licet omnia tu mandata mea non ſervaueris.

Lubbertus.

Sed

Sed hæc formula nuſquam in ſacris literis reperitur, neque uſquam ſcriptum eſt, nos ob, ſiue propter fidem; multò minus ob, ſiue propter illam conditionem a nobis præſtitam iuſtificari. Quin ubique Scriptura dicit nos non ex operibus noſtris, ſed gratis & ex gratia iuſtificari. Verum ſi ob conditionem a nobis præſtitam iuſtificemur, tum illa omnia falſa ſunt. Nam qui propter conditionem a ſe præſtitam iuſtificatur, ille iuſtificatur propter opus a ſe præſtitum, non autem gratis, neque ex gratia. Nam iuſtificari gratis, ſiue ex gratia, & iuſtificari ob opus aliquod ſuum, ſunt oppoſita. Rom. 11.6. *Quod ſi per gratiam iam non ex operibus, alioqui gratia iam non eſt gratia; ſin ex operibus tum non ex gratia, alioquin opus iam non eſſet opus.* Sciendum autem eſt & hoc deſumtum eſſe ex Socino de Chriſto Servatore fol. 382. *Fides in Chriſtum eſt conditio propoſita ijs, quorum peccata re ipſa delenda ſunt.* Et fol. 389. *Promiſſio Abrahamo non ſine tacita conditione facta fuerat. Et ideo verè, & abſolutè coram Deo iuſtificatus fuit Abraham, quia id quod Deus promiſerat, futurum credidit.* Fol. 392. *Spem firmam concipit, ſe ſi iſta præſtiterit beatum atque immortalē ex Dei promiſſo futurum.* Fol. 397. *Per Ieſum obdormire ideo non recuſamus, quia ex ipſius reſurrectione, nos quoque ſi id fecerimus, reſurrecturos eſſe firmam ſpem concipimus.*

Bertius.

Eſt enim duplex lex, & thronus duplex, ac proinde iudicium ipſi ex adverſo reſpondens duplex. Vnum quo Deus rigidè a ſingulis debitum exigit, ex formula: *Qui fecerit iſta homo, viuet in ijs. Et maledictus omnis, qui non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea*: atque hoc pacto nemo coram Deo iuſtificatur. Nam delicta ſi ſub cenſum veniant, quis tandem poterit conſiſtere? Alterum gratioſum Evangelij, & Fidei, ex formula: *Si credideris ſervaberis.* Illud iudicium eſt extra Chriſtum: hoc in Chriſto, qui Legem implendo nos a maledictione Legis exemit.

Lubbertus.

Nos ex Sacra Scriptura didicimus, tantum unam eſſe Legem Dei, propriè ſic dictam, certè nuſquam legitur in S. Scriptura, duplicem eſſe Dei Legem propriè ſic dictam. Hoc igitur quia de S. Scriptura autoritatē nō habet, eadem facilitate reijci poteſt, qua admitti. Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

igitur hinc infert de duplici iudicio,& de duplici throno novũ commentum eſſe videtur. Eandem in S. Scriptura non legimus, niſi unum univerſale iudicium: legimus item unum tantũ eſſe thronum, in quo ſedens filius Dei illos, qui ſunt ad dextram iuſtificat: Et illos qui ſunt ad ſiniſtram condemnat Matth. 25.31. *Cum autem venerit Filius hominis in gloria ſua, & omnes ſancti angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper thronum gloriæ ſuæ, & cogentur coram eo omnes gentes, & ſeparabit eos, alteros ab alteris, ut Paſtor ſeparat oves ab hædis, & ſtatuet oves quidem a dextra ſua, hædos autem ad ſiniſtram: tunc dicet rex his, qui a dextra ſua erunt: Venite benedicti Patris mei poſſidete regnum paratum vobis a iactis mundi fundamentis.* verſ. 4. *Tunc dicet ijs qui erunt a ſiniſtra. Abite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo et angelis eius.* Præter hoc univerſale iudicium, & præter hunc iudicialem thronum, nullum aliud univerſale iudicium, neque ullus alius iudicialis thronus in Scriptura reperitur. Illud de duplici iudicio crediderim ſumtum eſſe ex Socino, qui ſomniat duplicem eſſe Dei iuſtitiam, unam, qua contumaces peccatores punit: Alteram qua peccatores reſipiſcentes punire poteſt ſi vult, de Chriſto Servatore lib. 1. cap 1. Hoc de duplici throno putarim ex fecibus monachorum hauſtum eſſe, Barnardus Marial. part. 3. ſer. 3. excell. 4. lit. 11. *Iſta impetratrix figurabit imperatricem cœlorum, cum qua Deus regnum ſuum diviſit: Cum enim Deus habeat iuſtitiam & miſericordiam: Iuſtitiam ſibi in hoc mundo exercendam retinuit, & miſericordiam matri conceſſit: Ideo ſi quis ſentit ſe gravari a foro iuſtitiæ Dei, appellet ad forum miſericordiæ eius.*

Nos autem in Scriptura videmus tantum unum iudicialem thronum in quo Deus, iudicans, ſedet, & ſimul miſericordiam, & iuſtitiam exercet. Iuſtitiam, quia neminem iuſtum pronuntiat, niſi ob aliquam iuſtitiam. & quia nos ob perfectam Chriſti iuſtitiam iuſtos pronuntiat, reſpectu Chriſti, obſervat rigidam & ſeveram iuſtitiam. *In hunc enim coniecit Deus omnes iniquitates noſtras.* Eſa. 53.6, *Has ille portavit in corpore ſuo ſuper lignum.* 1. Pet. 2. 24. *Propter has vulneratus, attritus, & in mortem traditus eſt.* Eſa. 53.5. Rom. 4. 25. Vno verbo, *Perfectè ſolvit redemtionis prætium pro nobis.* Math. 20. 28. Et 1. Timoth. 2.5. Miſericordiam, quia nobis Chriſti iuſtitiã imputat, & ob eam nobis imputatam, nos abſolvit, & iuſtos pronuntiat. Rom. 5. 19. *Vnius obedientia iuſti conſtituentur multi.* Rom. 3. 24. *Iuſtificamur gratis, hoc eſt, eius gratia propter redemtionem factam in Chriſto Ieſu.* Rom. 4. 6.

4.6. *Beatus homo cui Deus imputat iuſtitiam abſque operibus.* 2.Cor. 5.22. *Qui non novit peccatum pro nobis peccatum factus eſt, ut nos iuſtitia Dei fieremus in ipſo.* Gal. 3.13. *Chriſtus redemit nos ab execratione legis, dum factus eſt pro nobis execratio.* Et quia nos ex mera miſericordia propter iuſtitiam Chriſti iuſtos pronuntiat: reſpectu noſtri exercet in eodem throno exactam & perfectam miſericordiam. Porro ut tantum unus iudicialis thronus eſt, in quo Deus diverſo reſpectu iuſtitiam & miſericordiam exercet, ita etiam una tantum eſt iuſtitia, qua peccatores damnat, & credentes iuſtificat: Illos enim damnat propter tranſgreſsionem Legis: Hos iuſtificat propter perfectam impletionem, ſiue præſtationem Legis, intellige illam Legis præſtationem, quæ eſt ſatisfactio pro delinquente, vel ut Scriptura loquitur lytri ſolutio. In hoc tantum eſt differentia quod peccatores puniuntur ob violationem Legis a ſe factam: Credentes verò iuſtificantur ob obſervationem, ſiue præſtationem Legis, ſiue perpeſsionē a Chriſto factam. Rom. 5.18. *Propter unum dikaíooma iniuriæ correctionem donum iuſtitiæ redundat in omnes homines in iuſtificationem vitæ.* Rom. 5.19. *Vnius inobedientia peccatores conſtituti ſunt multi, & unius obedientia iuſti conſtituentur multi.*

Bertius.

Docuit utrumque Beatus Paulus ad Rom. ſcribens cap. 10. 5. *Moſes*, inquit, *deſcribit iuſtitiam, quæ eſt ex Lege, quod qui fecerit ea homo, vivet in eis*: Quæ verò eſt ex fide iuſtitia: ſic dicit. *Si confeſſus fueris ore tuo Dominum Ieſum, et corde credideris quod Deus eum excitavit ex mortuis, ſervaberis. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore verò fit confeſſio ad ſalutem.* Et certum eſt, Evangelium etiam iccircò lætum appellari, quod ijs qui Legem præſtiterunt, cum tamen præſtare tenerētur, conſilium Dei agnificetur de non exigenda plena mandatorum legalium obſervatione: ſed decreviſſe Deum cuivis credenti in filium dare vitam æternam.

Lubbertus.

Nihil minus docet Paulus, quam eſſe duplex iudicium, aut duplicem Dei thronum, tantum docet eſſe duplicem iuſtitiam, quarum alterutra homo iuſtificari debeat, ſi inter iuſtos habendus ſit. Vnam Legis, hoc eſt, noſtram: Alteram Fidei, hoc eſt, Chriſti, Philip. 3.9. *Vt comperiar in eo non habens meam inſtitiam, ſed eam, quæ ex fide eſt Chriſti*, id eſt, *iuſtitiam, quæ eſt ex Deo per fidem.* Illam habent, qui proprijs operibus iuſtificantur. Hanc accipiunt, qui obedientia Chriſti conſtituuntur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

ſtituuntur iuſti. Secundum utramque hanc iuſtitiam, in uno & eodem iudicio, in uno & eodem throno iudicatur. Secundum illam exactus eſt Chriſtus pœnas noſtras. Poſtquam enim ſe vadē ſeu ſponſorem conſtituit, coniecit Deus in illum omnes iniquitates noſtras, propter illas Chriſtus ſubijt mortem cum maledictione coniunctam, hoc eſt, ſuſtinuit illam pœnam, quam Deus in ſua lege peccatoribus minatur. Gal.3.13. *Chriſtus redemit nos ab execratione legis, dum factus eſt pro nobis execratio.* Secundum hanc pronuntiat nos iuſtos. Rom.5.19. *Unius obedientia iuſti conſtituuntur multi.* Sed hic obſervandum eſt autorem huius epiſtolæ facere triplicem iuſtitiam. Vnam legis, hoc eſt, perfectam legis obſervationem: Alteram fidei, quam Deus ſc. pro tota legis obſervatione habet: Tertiam Ieſu Chriſti nobis per fidem imputatam. Harum (ut ſic dicam) iuſtitiarum primam & tertiam agnoſcit Scriptura: Secunda nuſquam in Scriptura reperitur. Sed hauſta eſt ex fecibus Socini de Chriſto Servatore, pag. 333. *Deo viſum eſt fidem noſtram nobis iuſtitiæ loco ducere.*

Bertius.

Sic ergo colligo, Si iuſtitia fidei in locum iuſtitiæ legis ſucceſsit, conſequens eſt in locum plenæ, rigidæq; mandatorum omnium exactionis ſucceſsiſſe etiam conditionē fidei, eiuſque acceptilationem: Atqui illud prius verum eſt, Ergo & hoc,

Lubbertus,

Sed huius paralogiſmi maior eſt falſa: Eodem vel ſimili argumēto utuntur Papiſtæ. Papa ſuccedit Petro, Ergo ſuccedit ei in Apoſtolico vel ſuper Apoſtolico munere; vel quod idem eſt: Ergo Papalis poteſtas ſuccedit in locum Apoſtolicæ, & ſuper Apoſtolicæ poteſtatis. Quilibet videt quod non omne id, quod alicui ſuccedit, eſſe eiuſdem conditionis, & poteſtatis cum eo, cui ſuccedit, vel haberi pro eo, quod habet eandem vim, & poteſtatem cum eo, cui ſuccedit. Nam originale peccatum ſucceſsit originali iuſtitiæ, proinde dicendum eſt, aut originalem iuſtitiam, quam habuit homo ante lapſum, & labem, in quam prolapſus eſt homo per primum peccatum, habere vim eandem: aut confitendum eſt, non omne quod alicui ſuccedit, habere vim, & conditionem eandem cum eo, cui ſuccedit.

Deinde conditio fidei non ſuccedit plenæ & rigidæ obſervationi legis, neque ſuccedit perfectæ legis impletioni, aut iuſtitiæ legis, niſi admodum impropriè loqui velis. Nam infantes noſtri in infantia

mortui

mortui iuſtificantur. *Talium enim eſt regnum cœlorum*, ut Chriſtus pronuntiat Matth. 19.14. Petrus idem docet Act.2.39. *Vobis & liberis veſtris facta eſt promiſſio.* Ac licet illi in Adamo habuerint perfectam legis iuſtitiam: tamen hanc fidem nunquam habuerunt. Hic interrogo Socini diſcipulos, ut dicant, per quam iuſtitiam infantes in infantia mortui iuſtificentur: Legem enim non impleverunt, neque per habitum inhærentem, qualis hæc veſtra fides eſt, iuſtificati ſunt; Propter rationis enim defectum, intellectualem habitum, qualis fides eſt, nunquam habuerunt. Per quam igitur iuſtitiam iuſtificati ſunt? An per aliam quam illa eſt, per quam adulti iuſtificantur. Atqui Apoſtolus ad Rom.4.cap. docet nos omnes eodem modo iuſtificari quo Abraham iuſtificatus eſt. Vt ut ſit, infantes fidem actu non habent quocunque igitur modo iuſtificentur, in illis fides non ſuccedit legali iuſtitiæ.

Ad hæc, plena legis impletio durat in perpetuum, ſed quod perpetuo durat illi nihil ſuccedit, ut taceam rigidam legis impletionem ab illo cum plena eiuſdem impletione confundi, cum tamen diſtingui debeant. Rigida enim eſt illa, quæ exigit perfectam legis impletionem, ſub pœna damnationis. Deut. 27. 18 *Maledictus qui non manet in omnibus.* Plena verò etiam illa dici poteſt, qua homo per obedientiam Chriſti iuſtus conſtituitur.

Bertius.

Idem quoque nos docuit B. Petrus (Lucas docet Paulum eſſe qui hoc dicat) Act. 13.38. *Notum ſit vobis viri fratres, quod per iſtum Ieſum nobis remiſſio peccatorum annuntiatur: & ab omnibus, a quibus non potuiſtis per legem Moſis iuſtificari, per hunc omnis credens iuſtificatur.*

Lubbertus.

Nil minus docet Paulus iſto loco, quam fidẽ ſucceſsiſſe in locum legalis iuſtitiæ; aut fidei conditionem ſucceſsiſſe in locũ rigidæ omnium mandatorum obſervationis: Tantum docet iſto loco, nobis per Chriſtum annuntiari remiſsionem peccatorum: & nos per Chriſtum iuſtificari, hoc eſt, abſolvi ab ijs, a quibus per legem Moſis abſolvi non poteramus.

Bertius.

Et B. Paulus Rom. 8.3. *Deus miſſo filio ſuo in ſimilitudine carnis peccatricis condemnavit peccatum de peccato, in carne, atque ita præſtitit illud quod lex facere potuit, eo, quod ipſa infirmabatur in carne.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Lubbertus.

Nil minus docet Paulus hoc loco, quam fidẽ ſucceſsiſſe in locum legalis iuſtitiæ, aut in locum obſervationis omnium mandatorũ Dei ſucceſsiſſe conditionem fidei: Tantum docet Chriſtum condemnaſſe peccatum in carne ſua, & præſtitiſſe id, quod lex præſtare non potuit.

Bertius.

Ex his ita ratiocinor. Qui docet nos, qui non potuimus iuſtificari per legem, quam præſtare tenebamur, iuſtificari per fidẽ in Chriſtum, Deo ſc. fidem reputante in iuſtitiam, is docet fidem ſubſtitutam eſſe in locum plenæ obſervationis legis, ideoque eam per gratuitam ratishabitionem Dei, nullo merito noſtro, cenſeri pro univerſa iuſtitia legis. Atqui illud docent Apoſtoli, Petrus & Paulus ut oſtendimus; docent igitur & iſtud *'oper 'édei déixai.*

Lubbertus.

Maior huius parologiſmi eſt falſa: Scriptura enim ubique docet nos fide iuſtificari, & fidem nobis imputari ad iuſtitiam. Sed hinc non ſequitur fidem ſucceſsiſſe perfectæ legis obſervationi: neque docet fidem haberi a Deo pro perfecta legis iuſtitia. Illa igitur quia in Scriptura ſunt, vera ſunt: Hæc quia ſcripta non ſunt, neque ulla neceſſaria conſequentia e Scriptura deduci poſſunt, vera non ſunt. Proinde non quicunque docet nos fide iuſtificari, protinus docet fidem ſucceſsiſſe, in locum legalis iuſtitiæ. Neque quicunque docet nobis fidem reputari pro iuſtitia, is docet fidem haberi a Deo pro perfecta legali iuſtitia. Ratio huius rei eſt: quia aliter accipitur fides in duabus prioribus propoſitionibus, quam in duabus poſterioribus. In illis accipitur impropriè, ſiue ut in Scholis loquimur, relative: in his propriè, ſiue ut in Scholis loquimur, abſolutè. Hinc quilibet videt, non omnem, qui dicit fidem relativè acceptam, a Deo imputari credenti pro iuſtitia, etiam dicere fidem abſolutè ſumptam a Deo haberi pro perfecta iuſtitia. Ante dixi, hac poſteriori loquendi formula ſignificari aliquid fidei collatũ eſſe: illa verò priori ſignificari aliquid credenti collatum eſſe per fidem. Deinde & minor falſa eſt. Eius falſitatem paulo ante oſtendimus. Et tamen libuit autori ſcribere *'oper 'édei déixai.* Voluit ſc. experiri, an quis eſſet, qui inter *'apódeixin kài paralogiſmòn 'ex 'amphotéroon pſeudoon* diſtinguere poſſet.

Bertius.

Nunc

Nunc ego te vir præſtantiſsime per veritatem ipſam obteſtor, quæ non hominis eſt, ſed ipſius Dei, ut tecum iſta expendas, neque refrageris manifestæ & contestatæ veritati.

Lubbertus.

Ego ſanè in timore Dei expendi utrumque argumentum diligenter, neque in ijs quicquam, quam novam doctrinam extra & contra Dei verbum excogitatam invenire potui. Quin miror te virum non indoctum & in Logicis non inexercitatum potuiſſe tam infirmis & inconditis ſtrophis commoveri.

Bertius.

Dices fortaſſe ex iſtis ſequi, nos opere noſtro ſervari. Fides enim est opus. Hoc autem repugnare toti doctrinæ Evangelij, & diſputationibus Apoſtoli ad Rom. & ad Galatas.

Lubbertus.

Equidem tota Scriptura Sacra clarè & perſpicuè docet nos operibus non iustificari. Et quia fides propriè accepta eſt opus, manifestum eſt, nos fide propriè accepta non iuſtificari.

Qui non iuſtificatur operibus, ille non iuſtificatur fide propriè accepta.
Homo eſt ille, qui non iuſtificatur operibus.
Ergo homo non iuſtificatur fide propriè accepta.

Maior eſt vera. Fides enim propriè accepta eſt opus Ioan. 6. 29 Minorem docet Scriptura. Rom. 4. 6. *Beátus homo cui Deus imputat iuſtitiam, abſque operibus.* Rom. 4. 2. *Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet quod glorietur, at non apud Deum.* Tit. 3. 6. *Non ex operibus iuſtis, quæ fecerimus nos, ſed ex ſua miſericordia ſervauit nos.* Ephe. 2. *Gratia eſtis ſervati per fidem, idque non ex vobis, Dei donum eſt: non ex operibus.*

Bertius.

Mane hic pauliſper ſi placet: huc enim ibam. Opus, ſi accurato examine rem penſites, duplex eſt, Legis & Evangelij.

Lubbertus.

Ego verò maneo, & expecto quid velis. Dicis opus, ſi accurato examine rem penſites, duplex eſſe; Legis ſc. & Evangelij. Quod aliter

ne quit, quam duas eſſe oppoſitas ſpecies operis, atque harum unam ſpeciem vocari opus Legis, alteram vocari opus Evangelij. Sed hoc ipſum, ſi rem accurato examine penſites, falſum eſt. Nam ſi res ita ſe haberet, tum opus Legis non poſſet eſſe opus Evangelij; neque opus Evangelij poſſet eſſe opus Legis. Vna enim oppoſita ſpecies non poteſt eſſe altera: ut animal rationale non eſt, nec eſſe poteſt animal irrationale. Sed nos facile oſtendemus unum & idem opus poſſe Legis & Evangelij opus dici. Quod ut fiat, prius explicandum eſt, quid ſit opus Legis, & quidnam ſit opus Evangelij. Sic igitur habe. Opus Legis eſt, quod in Lege præſcriptum eſt. Deut. 27. 26. Gal. 3. 13. *Maledictus, qui non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea.* Vide, opera Legis dicit eſſe illa omnia, quæ ſcripta ſunt in libro legis. Extra controverſiam igitur pono, opus Legis eſſe illud, quod in Lege mandatum eſt. Opus Evangelij eſt, quod in Evangelio ſcriptum eſt: vel quod Spiritus S. per Evangelij prædicationem in nobis efficit. Si illud: tum idem opus Legis quod Evangelij. Nam ut in Lege omnia bona opera revocantur ad hæc duo capita. *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Deut. 6. 5. Et *Dilige proximum tuum, ut te ipsum.* Levit. 19. 28. Ita etiam in Evangelio omnia bona opera revocantur ad hæc eadem duo capita. Luc. 10. 25. *Quidam Legis interpres ſurrexit, tentans eum, & dicens, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? At ille dixit ad eum, in Lege quid ſcriptum eſt? Quomodo legis? Ille verò reſpondens, dixit. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota cogitatione tua, & proximum tuum, ſicut te ipſum. Tum ipſe dixit ei, recte reſpondiſti: hoc fac, & vives.* Eadem igitur opera in Lege & Evangelio præſcripta ſunt, Proinde ſecundum hanc conſiderationem, unum & idem opus poteſt Legis, & Evangelij dici.

Si verò id vocas opus Evangelij, quod Spiritus S. per prædicationem Evangelij in te efficit: tum etiam unum & idem opus poteſt Legis & Evangelij dici. Omnia enim opera bona, quæ Spiritus S. per prædicationem Legis & Evangelij in nobis efficit, ad hæc eadem duo capita revocantur. Hæc igitur eadem opera dicuntur Legis, quia in Lege præſcripta ſunt: & dicuntur Evangelij, quia per prædicationem Evangelij in nobis excitata ſunt. Proinde ineptè facit qui bona opera, ut opera Legis & Evangelij tanquam in duas oppoſitas ſpecies propriè ſic dictas dividit atque diſtinguit. Si dixeris illa eſſe opera Evangelij, quæ per Evangelij prædicationem excitati facimus: Illa verò eſſe opera Legis, quæ homines non regenerati virib. natura faciunt,

ciunt, nihil promoveris, Vtraque enim opera eatenus ſunt bona, quatenus cum norma in Lege propoſita congruunt, vel quatenus in Lege ſcripta ſunt. Et ob eam cauſam, tam hæc, quam illa, poſſunt opera Legis dici.

Bertius.

Opere Legis nemo ſalvatur, ut ante poſitum eſt, quia nemo Legē præſtat. Opere verò Evangelij, quod dicitur *obedientia fidei,* Rom. 11.5.& 16.26.Act.6.7. *Obedientia Evangelij*. Rom.10.16. quenquam ſalvari quis negabit, niſi qui ſtatuit neminem credere? Dicente in primis Domino: *Fides tua te ſervabit*. Luc. 7.50.& 8.48.&17. 19.& 18.42. Et poſt Moſen Paulo. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei in iuſtitiam*. Rom.4.3. Gal.3.6, Et rurſus. *Fides credentis reputatur ei in iuſtitiam.*

Lubbertus.

Bona verba. Credimus Chriſto dicenti: *Fides tua te ſervavit*. Et *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi pro iuſtitia*. Et *Credenti in eum, qui iuſtificat impium fides imputatur ad iuſtitiam*. Hæc omnia credimus vera eſſe: & tamen negamus hominem iuſtificari opere Evāgelij. Cauſa noſtræ negationis eſt, quod Scriptura negat Abrahamum eſſe iuſtificatum operibus. Rom.4.2. Et ſimul affirmat Abrahamo iam centenari, Rom. 4. 19. *imputatam eſſe fidem ad iuſtitiam.* Rom.4.22. Ergo fides, qua Abraham iam centenarius iuſtificatus eſt, non conſideratur ut opus. Nam hæc duo:

Abraham non eſt iuſtificatus operibus,
Abraham iuſtificatus eſt opere.

Sunt contradicentia. Neque te iuvat, quod dicis, eum opere Evangelij iuſtificatum eſſe. Nam & opus Evangelij eſt opus. Et de quo rectè dicis, quod non ſit iuſtificatus operibus, de eodem rectè dicis, quod neque hac, neque illa operum ſpecie iuſtificatus ſit. Iam verò Scriptura in genere dicit: hominem non iuſtificari operibus Ro, 4.2. *Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet quo glorietur, at non apud Deum.* Rom.4.6. *Beatus homo cui Deus iuſtitiam imputat ſine operibus*. Num tu ex hac generali negatione inferes, hominem aliqua ſpecie operum, videlicet, Evangelij iuſtificari? Perinde ac ſi dicas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Iuvenis iſte non eſt virgis cæſus :
Ergo eſt cæſus virga Scholaſtica.

Dices me ridere. Ego verò non rideo : ita enim argumentaris.

Homo non iuſtificatur operibus :
Ergo homo iuſtificatur opere Evangelij.

Ad hæc, bona opera, quæ Abraham iuſtificatus faciebat, erant opera Evangelij. Opera enim fidei ſiue Evangelij opinor, dicis ea eſſe, quæ homo iã regeneratus ex fide facit. Sed opera bona, quæ Abrahã iam centenarius faciebat, proficiſcebantur ex fide: nam tum multos annos fuerat regeneratus ; & tamen Apoſtolus Abrahami iam regenerati operibus vim iuſtificandi adimit. Rectè igitur concludimus, eum operibus regeneratorum adimere vim iuſtificandi.

Ex his vides diſtinctionem inter Legis & Evangelij opera, quam a damnatis hæreticis mutuatus es, non eſſe magni momenti. Deinde Apoſtolus dicit, *non operanti, ſed credenti* Rom. 4. 5. Operari igitur & credere in hac diſputatione ſunt oppoſita. At verò ſi credere & operari ſunt oppoſita, tum fides & opera etiam ſunt oppoſita. Præterea, Scriptura omnia in univerſum opera excludit. Rom. 4. 6. *Beatus homo, cui Deus iuſtitiam imputat abſque operibus.* Sed ſi imputat eam ſine operibus, & non imputat ſine fide ; manifeſtum eſt fidem in hac diſputatione non abſolutè accipi pro opere. Nam hæc duo

Deus imputat iuſtitiam ſine operibus. Et
Deus non imputat iuſtitiam ſine aliquo opere.

Sunt contradicentia, & ſimul vera eſſe non poſſunt. Denique Apoſtolus dicit. Tit. 3. 5. *Non ex operibus iuſtis, quæ fecerimus nos, ſed ex ſua miſericordia ſervauit nos.* Vide, non ſervauit nos ex operibus iuſtis. Ergo non ex fide abſolutè ſumta. Nam fides abſolutè ſumta, eſt opus iuſtum.

Bertius.

Certè ſi fides credentis reputatur ei in iuſtitiam : fides autem eſt opus credentis, neceſſe eſt opus credentis reputari : quicquid contra afferri poſsit.

Lubbertus.

Neceſſe eſt,ut aut *hypotheticoos* formes.

Si fides credentis reputatur ei pro iuſtitia;
Tum opus credentis reputatur ei pro iuſtitia.

Sed prius eſt verum. Ergo & poſterius.
Aut *deicticoos*.

Fides credentis reputatur ei pro iuſtitia.
Fides eſt opus.
Ergo opus reputatur ei pro iuſtitia.

Ego ad hanc formam reſpondebo: res eodem redit. Dico autem eſſe quatuor terminos. Fides enim in maiore accipitur impropriè, videlicet, relativè, aut metonymicè pro iuſtitia Chriſti,quam fide apprehendimus. In minore verò accipitur abſolutè,pro habitu inhærente, vel pro opere, quod ab iſto habitu proficiſcitur. Poſſet quis mirati virum doctum huiuſmodi ſtrophæ turbari poſſe, præſertim poſtquã magnus ille Philippus Melanchthon eam rem tam clarè, tamque perſpicuè explicuit. Eius verba hæc ſunt. Obiectio 4.

Fide ſumus iuſti,
Fides eſt opus,
E. Propter opera ſumus iuſti.

Maior intelligitur correlativè. Fide ſumus iuſti, id eſt, *per miſericordiam propter Chriſtum ſumus iuſti. Non quia fides ſit virtus, quæ mereatur remiſsionem ſua dignitate. Quod verò additur: fides eſt opus. Concedendum eſt. Eſt enim opus ut dilectio, patientia, caſtitas: & ut hæc ſunt infirma & languida, ita fides eſt admodum imbecilla, & concutitur multis dubitationibus. Quare non ideo dicimur iuſti fide, quia tanta eſt huius virtutis dignitas, ut mereatur remiſsionem. Sed quia oportet aliquod eſſe inſtrumentum in nobis, quo apprehendimus Mediatorem pro nobis interpellantem, propter quem æternus Pater eſt propitius.* In locis de argumentis adverſariorum, argumento 4. In examine de iuſtificatione, argumento 3.

Bertius.

Bertius.

Fidem autem opus eſſe credentis,& ipſe paulò antè poſuiſti,& ratio evincit,& Chriſti inſuper authoritas. Ioan.6.29. *Quærentibus enim Iudeis quid faciemus, ut operemur opus Dei. Reſpondit Dominus; hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ipſe.*

Lubbertus.

Non negamus fidem eſſe opus: neque negamus Deum hoc opus in nobis requirere. Sed negamus, Deum nos fide tanquam opere iuſtificare. Firmiſsima eſt enim illa Apoſtoli oratio. Tit.3.5. *Non ex operibus iuſtis, quæ fecerimus nos: ſed ex ſua miſericordia ſervauit nos.* Scitè Calv.inſtit. lib.3.cap.18. ſect. 10. *Cavillantur in eo, quod fides alicubi opus vocatur, atque inde colligunt nos perperam fidem operibus opponere. Quaſi verò fides, quatenus obedientia eſt divinæ voluntatis, ſuo merito iuſtitiam nobis conciliet, ac non potius, quod miſericordiam Dei amplectendo, Chriſti iuſtitiam, ab eo nobis oblatam in Evangelij prædicatione cordibus noſtris obſignat.*

Bertius.

Eadem ratio eſt huius concluſiunculæ:

Fides ſervat.
Fides eſt opus.
E. Opus ſervat.

Sed quod opus? opus Evangelij, & ut Chriſtus loquitur opus Dei.

Lubbertus.

Quia eſt eadem ratio huius concluſiunculæ atque illius ſtrophilæ, etiam eadem reſponſiò apponi debet. Melanchthon in examine de iuſtificatione argumento 3. *Reſpondeo ad maiorem. Propoſitio hæc, Fide ſumus iuſti, intelligitur correlative, videlicet per miſericordiam ſumus iuſti, propter Filium Dei, & id beneficium oportet fide accipi.*

Bertius.

Itaque Beatus Paulus quotieſcunque de operibus in cauſa iuſtificationis agit, non excludit opus fidei, (eſt enim in eo ut illud aſtruat) ſed opus duntaxat legis.

Lubbertus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Tantum operibus legis ademerit Paulus vim iuſtificandi? At ademit eam omnibus operibus iuſtis, quæ fecerimus nos. Tit. 3. 5. *Non ex operibus iuſtis, quæ fecerimus nos, ſed ex ſua miſericordia ſervavit nos.* Ademit eandem operibus regenerati Abrahæ. Rom. 4. 5. *Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet quod glorietur, at non apud Deum.* Ademit eandem omnibus operibus indefinitè ſumtis. Rom. 4. 16. *Beatus homo, cui Deus imputat iuſtitiam abſque operibus.* Iam verò idem Apoſtolus docet, nos iuſtificari gratis, ex gratia Ieſu Chriſti. Rom. 3. 24. *Iuſtificamur gratis, id eſt, eius gratia, per redemtionem factam per Chriſtum Ieſum.* Atque hoc ipſo omnia noſtra opera a cauſis iuſtificationis excludunt. Iuſtificatio enim ex gratia, & iuſtificatio per opera facta ſimul conſiſtere nequeunt. Rom. 11. 6. *Quod ſi per gratiam, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non gratia eſt. Sin ex operibus, iam non ex gratia, alioquin opus iam non eſt opus.* Vide, Apoſtolus diſertè negat nos iuſtificari operibus. Hinc tu infers. Ergo iuſtificamur aliquo opere, nempe fidei. Excute quæſo te ipſum, & cogita an tu cum puer ad pedes tuorum præceptorum docereris Logicam, ita impunè argumentari potueris. Hoc ſcio pro certò, quod omnes docti riſuri ſunt hanc Logicam.

Homo non iuſtificatur operibus.
Ergo homo iuſtificatur aliquo opere, videlicet, *fide.*
Vel *Homo non iuſtificatur operibus legis:*
E. Homo iuſtificatur operibus fidei.

Deinde pervertis terminos controverſiæ Non enim quæſtio eſt an Deus excludat fidem in cauſa iuſtificationis? Sed an Deus habeat fidem pro perfecta legis impletione? Vel an fides propriè accepta ſit illa iuſtitia, qua coram Deo iuſtificamur? illud nos poſſumus concedere. Fides enim ut inſtrumentum accipiendæ, vel acceptæ iuſtitiæ non excluditur in cauſa iuſtificationis. Veriſsimum enim eſt illud Apoſtoli Rom. 5. 1. *Iuſtificati fide, pacem habemus apud Deum.* Hoc verò conſtanter negamus Et quia tu contrarium affirmas, incumbit tibi probatio. Rogamus igitur te, ut probes aliquo claro & perſpicuo Scripturæ teſtimonio, Vel.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Deum habere fidem pro perfecta legis impletione. Vel *Fidem propriè ſic dictam, eſſe illam iuſtitiam, qua coram Deo iuſtificamur.*

Equidem nos ex Scriptura didicimus, obedientiā Ieſu Chriſti eſſe illam iuſtitiam, qua coram Deo iuſtificamur. Rom. 5. 19. *Per unius obedientiam, iuſti conſtituentur multi.* Huius obedientiæ accipiendæ inſtrumentum eſt fides. Hinc eſt quod fide iuſtificari dicimur, non propriè, ſed metonymice. Fidei enim ut inſtrumento tribuitur, quod eſt obedientiæ Chriſti.

Bertius.

Indicat hæc tota ipſius diſputationis ſeries, atque imprimis nobile illud *Symperaſma.* *Concludimus igitur fide iuſtificari hominem abſque operibus legis.* Rom. 3. 28. Et ad Philippenſes 3. 9. *Ego omnia damnum duco præ eximia cognitione Chriſti Ieſu domini mei, propter quem ego omnibus me mulctavi, eaque duco ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam, & comperiar in eo, non habens meam iuſtitiam, quæ eſt ex lege, ſed eam, que per fidem eſt Chriſti, juſtitiam* (inquam) *Dei per fidem.*

Lubbertus.

Nihil minus. Apoſtolus negat nos iuſtificari operibus legis: Num tu hinc inferre potes: nos iuſtificari opere fidei? Explora mecum per formam argumentationis.

Homo non iuſtificatur operibus legis;
Ergo Homo iuſtificatur opere fidei.

Poſſumuſne ex antecedente negativo concludere affirmative? aut poſſumuſne a negatione unius ſpeciei argumentari ad poſitionem alterius ſpeciei? vel ut clarius dicam. Poſſumuſne a remotione unius ſpeciei argumentari ad poſitionem alterius ſpeciei? Sed quid ego hæc diſputo? Apoſtolus excludit opera legis a cauſis iuſtificationis. E. excludit omnia opera a cauſis iuſtificationis. Opera enim bona ſunt illa, quæ vel implicite, vel explicite in lege mandata ſunt. Perinde igitur eſt ac ſi dicat. Neminem iuſtificari operibus in lege mandatis: quod idem eſt cum eo; neminem iuſtificari operibus bonis. Omnia enim bona opera ſunt in lege præcepta: vel ut clarius dicā, illa ſunt bona opera, que in lege præcepta ſunt. Et quæ in lege præcepta

cepta non ſunt, inter bona opera cenſeri non debent. Lex enim eſt norma & regula omnium bonorum operum, proinde omne opus quod cum lege congruit eſt bonum; & quod cum lege non congruit non eſt bonum. Si hoc diligenter expendes, videbis & fidem quatenus opus eſt, inter legis opera cenſeri debere. Equidem prima lege mandat Deus : ut non habeamus deos alienos coram facie ipſius. Hac lege implicite mandat Deus ut ſe ſolum pro vero Deo habeamus. Omnis enim lex (loquor de legibus Dei) negatiue, tacite includit affirmativam: Sed qui mandat ut ſe pro vero Deo habeamus : ille ſimul mandat ut fidem, ſpem, & fiduciam noſtram in ſe collocemus : hoc enim eſt illum pro vero Deo habere.

Fides igitur, qua opus, pertinet ad primam legem. Neq; evadere potes, quin dicas nos opere legis iuſtificari, ſi dixeris nos fide, quatenus opus noſtrum eſt, iuſtificari. Noſtram ſententiam probat magnus ille Zanchius, de natura Dei lib. 4. cap. 2. *Legis nomine intelligit omnia, quæ lex præcipit: præcipit autem non tantum externa facta, ſed imprimis internam renovationem, cordis circumciſionẽ, dilectionem Dei* (nota) *fidem. Ergo cum ſcriptura dicit per gratiam Dei nos iuſtificari, minimè autem per legem, omnem renovationẽ, & omnẽ internã & externam bonam actionẽ noſtram ab officio iuſtificandi excludit, & ſolo gratuito favori aſcribit.* Quod ad dictum ad Philippenſes 3. cap. attinet: Serveti, Socini, tuamque ſententiam ex profeſſo deſtruit. Diſerte enim inter fidem & inter iuſtitiam diſtinguit. Verſu enim 9. dicit. interprete Beza. Sed ut habeam eam iuſtitiam, *quæ per fidem eſt Chriſti.* Equidem ſi hæc iuſtitia eſt Chriſti per fidem, ut Beza interpretatur : vel ſi eſt per fidem Chriſti, ut vetus interpres habet : tum iuſtitia hæc non eſt ipſa fides. Noſtram ſententiam paſsim tuetur ſacra Scriptura. Rom. 1. 17. *Iuſtitia Dei per illud retegitur ex fide in fidem.* Sanè ſi iuſtitia Dei retegitur ex fide in fidem, tum iuſtitia Dei non eſt ipſa fides. Deinde Apoſtolus Serveti, Socini, tuamque ſententiam prorſus reijcit. Diſertè enim ſcribit verſ. 9. *Ut inveniar in eo non habens meam iuſtitiam.* Mea igitur iuſtitia non eſt, quâ iuſtificor: & hoc rectè. Diſertè enim Spiritus S. docet. Rom. 5. 19. *Nos obedientia Chriſti iuſtos conſtitui,* hoc eſt, nos iuſtitia Chriſti iuſtificari. Sed fides, quam ego habeo (ſi ſecundum Scripturas loqui velis) eſt mea fides. Fides item quam tu habes (ſi ſecundum Scripturas loqui velis) eſt tua fides Habac. 2. 4. *Iuſtus ex fide ſua vivet.* Iacob. 2. 18. *Oſtende mihi fidem tuam ex ope-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

ribus tuis, & ego oſtendam tibi ex operibus meis fidem meam. Si igitur fides mea eſt iuſtitia mea: & ego hac fide mea iuſtificor: tum utique iuſtificor mea iuſtitia: & debeo inveniri in eo habens meam iuſtitiã. Proinde aut imprudenter facit Apoſtolus cum ſcribit, *ut inveniar in eo non habens meam iustitiam*: aut vos imprudenter facitis, dum per veſtram iuſtitiam iuſtificari vultis: vel quod idem eſt, dum vultis inveniri habentes veſtram iuſtitiam. Quid quod Apoſtolus docet iuſtitiam, quam cupit habere verſ.9. eſſe Chriſti: *Sed habens eam iuſtitiam, quæ per fidem eſt Chriſti.* Verum fides mea, quocunq; tandem modo accipiatur, non eſt Chriſti iuſtitia, neque eſt illa iuſtitia, quæ eſt per fidem Chriſti. Sed obedientia, quam Chriſtus patri pro me præſtitit, eſt Chriſti iuſtiria, atque hac ego iuſtificor. Rom. 5. 19. *Unius obedientia iuſti conſtituentur multi.* Nihil igitur imprudentius a te fieri potuit, quam iſtum locum ad hunc errorem ſtabiliendum allegari.

Bertius.

Intellexit id ipſum quoque Lutherus, cuius verba, quia ita merentur, aſſcribam. *Imaginatio Sadoleti fortaſſis hæc eſt, quod fides ſit opus exactum lege divina, ſicut & charitas, obedientia, caſtitas, &c. Ergo qui credit, implet unam vel primam partem legis. Sed principio habito requiruntur & alia opera præcepta poſt fidem. Hic vides Sadoletum nihil intelligere de iſta cauſa. Nã ſi fides eſſet opus præceptũ, tunc omnia rectè Sadoletus, & tunc fides ſic renovaret initio hominẽ: ſicut alia bona opera poſtea renovarent. At nos dicimus fidẽ opus eſſe promiſſionis ſeu donũ Spiritus S. quod quidem ad legem faciendam neceſſarium eſt, ſed per legem & opera non fortaſſe legendum imperitur impetratur.* Hactenus Lutherus.

Lubbertus,

Hoc dictum Lutheri prorſus nihil facit ad rem. Non enim dicit fidem haberi a Deo pro perfecta legis impletione, neque dicit fidem propriè acceptam eſſe illam iuſtitiam, quâ coram Deo iuſtificamur, neque dicit fidem debere propriè accipi in his propoſitionibus. *Fides imputatur credenti ad iuſtitiam.*

Tantum docet unde fides habeat originem: & oſtendit eam non naſci ex Lege, ſed donari nobis eam à Spiritu S. Deinde Lutherus planè docet contrarium. Eius verba hęc ſuut in 3. cap. ad Galat. *Ideo donum illud inenarrabile excellit omnem rationem, quod Deus reputet & cognoſcat ſine operibus illum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

illum iuſtum, qui ſolum fide apprehendit filium ſuum, miſſum in mundum, natum, paſſum, cruſifixum, &c. pro nobis. *Res quantum ad verba attinet eſt facilis, ſcilicet iuſtitiam non eſſe formaliter in nobis, ut Ariſtoteles diſputat, ſed extra nos in ſola gratia, & reputatione divina: res enim non eſt ludicra, ſed ſeria & maxima, qua Chriſtus, qui nobis datur, & quem fide apprehendimus, non fecit aliquid exile pro nobis, neque luſit: ſed ut ſupra dixit Paulus:* *dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, factus eſt pro nobis maledictum.* *Et mea ratione non poſſum apprehendere, neque certò ſtatuere, me in gratiam recipi propter Chriſtum: ſed audio hoc annuntiari in Evangelio, & fide apprehendo.* Hactenus Lutherus.

Bertius.

Idem quoque Melanchthon ſtatuit cum ſcriberet. Nos ſola fiducia miſericordiæ Dei propter Chriſtum promiſſæ iuſtificari.

Lubbertus.

Nihil minus. Melanchthon enim dicit fiduciam accipi relativè, cum dicimur fiducia miſericordiæ propter Chriſtum promiſſæ iuſtificari. Eius verba hæc ſunt; Prolegominis in epiſt. ad Rom. fol. 61. *Vt igitur hæc oratio correlativè intelligitur. Fiducia theſauri ſui dives eſt tranquillo animo in annonæ difficultate, id eſt, propter theſaurum ſuum dives eſt tranquillo animo: Ita cum audis, fide iuſtificamur: mox veniat in mentem correlativa: per miſericordiam propter Chriſtum iuſti reputamur. Ideo enim dicitur fide, id eſt, fiducia Chriſti, ſeu fiducia miſericordiæ propter Chriſtũ promiſſæ iuſti ſumus. At memini aliquoties me interrogatum eſſe, cur dicendum ſit: fide ſumus iuſti, ſi velimus hominem per miſericordiam eſſe iuſtum. Ad id reſpondeo: has eſſe correlativas orationes: Fide ſumus iuſti: Et per miſericordiam ſumus iuſti. Sed neceſſe eſt fidei mentionem fieri, quia oportet aliquem motum eſſe, quo accipimus mu-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

nus, & nobis applicamus. Et cum dicitur: Fide iuſtificamur: non eſt imaginandum: nos fide iuſtos eſſe propter ipſius virtutis dignitatem: ſed correlativè intelligi hæc oratio debet. Fide iuſtificamur, hoc eſt, per miſericordiam propter Chriſtum placemus Deo: Sed hanc miſericordiam fide apprehendimus, ſive agnoſcimus, & nobis accommodamus. Nam fides etiamſi aſſentiar eſſe qualitates, tamen ut reliqua affectuum nomina fiunt relatiua: ut amor ſe relatiuè habet ad id, quod amamus: Metus ad obiectum, quod formidatur. Ita fiducia ad ſuum obiectum, quo nititur. Hæc dialectica nota ſunt etiam pueris, Et fide ſumus iuſti. Fides eſt opus. Ergo operibus ſumus iuſti. *Ad maiorem reſponderi debet, quâ rectè intellecta, poterit explicari & dilui argumentum. Fide ſumus iuſti; non quia fides eſt opus, aut qualitas, aut virtus in nobis: Sed quatenus apprehendit miſericordiam, & nititur Chriſto. Et ut res fiat planior, transformanda eſt oratio in correlativam. Fide ſumus iuſti, id eſt, per miſericordiam propter Chriſtum ſumus iuſti: Sed tamen fide ſtatuendum eſt illam miſericordiam ad nos pertinere. Minor eſt vera: Fides eſt opus, ſc. ut reliquæ virtutes, dilectio, patientia, caſtitas Et ut aliæ virtutes ſunt imperfectæ, ita & fides eſt imbecillis. Quare non ſumus iuſti propter ipſius virtutis dignitatem: ſed quia miſericordiam apprehendit. Neceſſe eſt enim aliquod eſſe, ut ita dicam, inſtrumentum, quo apprehendatur miſericordia Chriſti. Neceſſe eſt intueri Chriſtum, & ſtatuere, quod nobis ignoſcat. Reſpondetur ergo ad minorem: Fides eſt opus, ſed non ſumus iuſti propter ipſius operis dignitatem, ſed quia apprehendit miſericordiam. Ideo non poteſt ſequi: nos propter opera iuſtos eſſe. Poteſt & hoc eruditè dici: plus eſſe in concluſione quam in præmiſſis. Nam concluſio vult hominem propter opera iuſtum eſſe: id non ſequitur ex his præmiſſis.* His adde, quæ paulò ante ex locis communibus, & examine deſcripſi.

Bertius.

Zanchius verò multo clarius. *Non ignoro Moſen & Paulum de fide Abrahæ, quod hæc fuerit illi imputata ad iuſtitam, locutos fuiſſe, cum apertè Apoſtolus ab Abrahæ exemplo generalem doctrinam colligens; ſubdat hæc verba. Ei verò qui non operatur, ſed credit in eum qui iuſtificat impium, imputatur FIDES eius ad iuſtitiam,* Hoc eſt, *ideo apud Deum pro iuſto habetur, quia credit in eum, qui iuſtificat impium.* Quo loco luculentiſſimè a vera noſtri iuſtificatione excludtũur opera noſtra, & ſoli fidei tam quoad finem, quam quoad initium, illa tota penitus aſſcribitur.

Lubbertus.

Sed Zanchius non dicit Deum habere fidem pro perfecta legis impletione: Neque dicit fidem propriè acceptam eſſe illam iuſtitiam, qua nos coram Deo iuſtificamur. Tantum dicit fidem credenti imputari ad iuſtitiã. Idem Sriptura dicit; idemque nos dicimus. Verum cum dicit, fidem imputari credenti ad iuſtitiam, docet fidem impropriè ſumi. De attributis lib. 4. cap. 2. qu. 2. *Gratiam Dei ſemper opponit omnibus noſtris operibus, quæcunque a nobis etiam per Spiritum Sanctum fieri poſſunt, ita ut opera cohærere cum gratia non poſsint. Sicut ait, Si ex gratia, non iam ex operibus: alioquin gratia iam non eſſet gratia. Nomine autem operum intelligit Apoſtolus non ſolum externa opera à lege mandata, verum omnes etiam internas virtutes, &* (nota) *fidem ipſam, quatenus opus quoddam eſt intellectus & voluntatis.* Et Theſi 2. in eodem Capite. *At inquies, Paulus ait in eodem capite: Fidem Abrahæ imputatam illi fuiſſe ad iuſtitiam. Fidem accipit non pro opere, ſed pro obiecto fidei. Fides enim, qua credimus dicitur eſſe noſtra iuſtitia, & ad iuſtitiam imputari, non ſui reſpectu ſed reſpectu obiecti, quod apprehendit: nempe Chriſti veræ & unicæ noſtræ iuſtitiæ Imò nomen fidei, & verbum credendi apertè docent iuſtitiam nobis aliunde advenire: & eam in nobis realiter*

non eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

non eſſe: ſed tantum eius cognitionem, ſenſum & effecta. Opus enim fidei eſt, ea, quæ extra nos ſunt, apprehendere, & perinde ac ſi iam ea poſsideremus de ijs, quin noſtra ſunt, nō dubitare, ſicut docetur ad Hebræos. Quæ enim abſentia ſunt, & tantum in ſpe, ea quaſi iā ſubſiſtentia, & præſentia repreſentat, & quæ non videntur, ea quaſi ſub oculos ponit fides. Hæc igitur vel unica locutio per fidem, ſeu fide nos inſtificari, ſatis eſſe deberet, ad evincendū nos non iuſtificari opere, aut virtute aliqua in nobis exiſtēte. Eóq; nec ipſa fides ut virtus & opus eſt: ſed re, quæ extra nos poſita eſt, favore ſc. Dei, & iuſtitia Chriſti. Idem in confeſſione de iuſtificatione. cap. 6. *Cum dicimus hominem fide aut per fidem iuſtificari, minimè intelligimus fidei virtutē id eſſe, quo tanquam forma* (ut loquuntur) *& vera iuſtitia iuſtificemur: aut id propter quod remiſsionem peccatorum, & iuſtificationem mereamur: aut id quod tanquam prima aliarum virtutum, omniumque bonorum operum cauſa & fons trahit ſecum alias virtutes, charitatem, cordis munditiem, internam iuſtitiam, bonaque opera, quibus iuſtificemur: Sed quia ceu lumen eſt, quo intuentes in ſpeculum Evangelij, videmus, quales ſimus in Chriſto ex gratuita Dei bonitate ac voluntate, & propter merita ipſius Chriſti: & ſimul, quia ceu manus eſt, quâ gratiam hanc Dei & beneficiū Chriſti in Evangelio nobis monſtratum & in perſona Chriſti præſtitum arripimus atque amplectimur. Et dicimur iuſtificari fide,* id eſt, *remiſsione peccatorum, iuſtitiæque Chriſti imputatione per fidem apprehenſæ, ita ut fides pro re credita, ſeu fide apprehenſa accipiatur: quemadmodum & de Abrahamo legimus: Credidit Abraham Deo, & imputatum ei fuit ad iuſtitiam, nimirum id, quod credidit de ſemine ſibi promiſſo,* id eſt, *de Chriſto: is enim iuſtitia eſt omnium electorum verè credentium, filiorumque* (ut Scriptura loquitur) *promiſsionis.* Idém in epiſt. ad Epheſ. cap. 2. *Quomodo igitur ſola Dei gratia; ſi etiam per fidem ſuam ſervati fuerunt Epheſij? Ac proinde quomodo eorum ſalus gratuita fuit omnimode?* Reſp. *Fides hic non conſideratur ut opus*

quoddam noſtrum a Deo in nobis excitatū; ſed ut inſtrumentum, quo recipimus, & amplectimur ſalutem ac gratiam. Eſt autem neceſſe ut accipias ſalutem & gratiam ſi ſervari velis. Quomodo verò recipitur? per fidem, ſeu manum fidei. Inde fit ut licet gratia & ſalus detur gratis & citra opera noſtra, recipi tamen non poſsit, niſi fidei manu eam apprehendas. Non igitur fides iuſtificat propriè: aut ſervat vel in totum, vel ex parte: ſed tantum ſalutem & iuſtitiam recipit. Et eatenus dicitur ſervare, quatenus ſalutem recipit. Itaque inſtrumentum eſt ſalutem recipiens, non autem promerens. Solet tamen dici ſervare, & iuſtificare reſpectu obiecti, id eſt, *Chriſti apprehenſi*. Hactenus Zanchius.

Bertius.

Pezelius. *Abraham, qui erat in medijs pavoribus, & ſumma animi perturbatione: audivit hanc vocem:* Noli timere, Ego ſum protector tuus, & merces tua magna valdè. *Sic erexit ſe, & ſenſit Deum ſibi propitium eſſe, non quia ipſe meritus eßet, ſed quia Dei promiſsionem veram eſſe iudicaret.* Hæc igitur fides imputatur ei pro iuſtitia, hoc eſt, quia aſſentitur promiſioni & accipit oblatam reconciliationem, iam vere iuſtus eſt, & acceptus Deo, non propter dignitatem ſuam, ſed quia gratuitam Dei promiſſionem accipit.

Lubbertus.

Sed Pezelius non dicit Deum habere fidem pro perfecta legis impletione: neque docet fidem noſtram proprie ſic dictam eſſe illam iuſtitiam, qua coram Deo iuſtificamur: ſed ubique docet fidem eſſe inſtrumentum recipiendæ iuſtitiæ Chriſti. Ad examen Phil. fol. 598. *Rectè docet Philippus prius exiſtere oportere dolores conſcientiæ ſeu contritionem, id eſt, pavores in corde agnoſcente ſua peccata, & ſtatuente Deum iraſci peccatis, & tamen in his pavoribus erigendam eße conſcientiam fide, quâ cor ſtatuat remitti nobis peccata, & nos acceptos eſſe Deo gratis propter Chriſtum, cuius iuſtitia imputatur credentibus, cum vera fiducia eam apprehendimus.* Et fol. 599. *Hac fide accipit remiſsionem peccatorum, atque ita iu-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

ſtus eſt coram Deo imputata ei iuſtitia, ſeu obedientia illius venturæ victimæ, quam Scriptura dicit ab origine mundi occiſam eße, propter decretum Dei, patefactum in promiſsione Evangelij, & adumbratum in typis ſacrificiorum, & quia merito huius victimæ participes ſunt omnes credentes ab Adam uſque ad finem mnndi. Et fol. 604. *Reſpectu Dei inſtrumentum ſeu medium, quo nobis offertur iuſtificatio & promißio Evangelij, & legitimus uſus ſacramentorum. Ideo enim Evangelium vocatnr verbum reconciliationis: & Ioannes dicitur prædicaſſe baptiſmum reſipiſcentiæ in remiſsionem peccatorum. Noſtri verò reſpectu organum ſeu medium eſt fides, quâ ſola accipitur remiſsio peccatorum: & Chriſtum ipſum, atqne omnia eius beneficia nobis applicamus.* Hucuſque Pezelius.

Bertius.

Multa alia in hanc formam occurrunt paſsim apud meliores Theologos: Bucerum, Calvinum, Bezam, Iunium.

Lubbertus.

Etiamſi tale quid apud hos occurrat, tamen non poteris vel unum clarum & perſpicuum locum ex his autoribus adducere, qui doceat, Deum habere fidem pro perfecta legis impletione: aut qui dicat, fidem propriè ſic dictam eſſe illam iuſtitiam, quâ coram Deo iuſtificamur. Experire omnes tuas vires, & vide, an vel unum, unum, unum inquam locum, qui hoc claris & perſpicuis verbis doceat, adducere poſsis. Sed quid tu adduxeris? Diſerte & perſpicue docent hi doctores fidem accipi improprie, cum nobis ad iuſtitiam imputari dicitur. Hic ita eſſe paucis quibuſdam locis monſtrabimus.

Buzerus in Matth. cap. 8. *Meritum, quo ſalvamur, omne Chriſti eſt: eius enim redemtio eſt: ipse reconciliator: eius neceße fuit ſanguis ut interveniret. A nobis nihil niſi peccatum eſt, quo omnes gloria Dei, vera ſc. pietate caremus. Eòque quantum ad nos attinet, omninò gratis per ſolam gratiam Dei iuſtificamur, ſed per fidem, dum ſc. Deus nos ſua gratia, & Chriſti ſui merito atque ſatisfactioue donat nobis hanc de ſua. Ergo nos bonitate perſuaſionem, & fiduciam iudubitatam, quâ certi ſumus, quod peccata ille nobis condonare, iuſtos reddere velit Ex qua etiam perſuaſione, hoc eſt, fide, vera ac ſolida iuſtitia continuò ſequitur.*

Calvinus in ad Rom. 3.21. *Vt ergo iuſtificemur, cauſa efficiens*

ficiens eſt miſericordia Dei. Chriſtus materia. Verbum cum fide inſtrumentum. Quare fides iuſtificare dicitur, quia inſtrumentum eſt recipiendi Chriſti, in quo nobis communicatur iuſtitia. Idem in ad Gal. 3. 6. Cum fidei tribuimus hominis iuſtificationem; non de cauſa principali diſputamus: ſed tantum notamus modum, quo perveniunt homines ad veram iuſtitiam. Iuſtitia enim hæc eſt merum Dei donum, non qualitas, quæ in hominibus hæret: ſed fide tantum poſſidetur, neque id merito fidei: Vt ſit quaſi debita merces: ſed quia fide recipimus, quod Deus vltrà donat. Proinde omnes iſtæ locutiones per æquè valent: Iuſtificari nos Dei gratia: Chriſtum eſſe iuſtitiam noſtram: Dei miſericordiam cauſam eſſe noſtræ iuſtitiæ: Iuſtitiam morte & reſurrectione Chriſti nobis acquiſitam, nobis iuſtitiam conferri per Evangelium: Nos fide conſequi iuſtitiam. Idem in 1. Ioan. 5.5. Fidei nomine viuam Chriſti apprehenſionem intelligit, quæ vim eius & officium ad nos accommodat. Idem in 15. Geneſ. Id præcipuè tenendum eſt, fidem aliunde iuſtitiam mutuari, quâ apud nos deſtituimur, alioqui perperam opponeret Paulus operibus fidem, ubi de obtinenda iuſtitia agitur. Idem Calvinus in explicatione errorum Serveti hanc opinionem ex profeſſo deſtruit, fol. 903. Iſtic vide.

Beza in ad Rom. 3.22. Hoc addendum fuit ne quis exiſtimaret, fidem illud eſſe, quod nos iuſtificaret, cum ſit tantum inſtrumentum, quo Chriſtum iuſtitiam noſtram apprehendimus. Idem in ad Rom. 4.2. Quaſi fides illud ſit, quod nos iuſtificat, ac non potius inſtrumentum duntaxat, & quidem gratis nobis datum, quo tanquam manu quapiam Chriſtum iuſtitiam noſtram apprehendimus. Idem in ad Rom. 9.30. Nec propriè ſervat fides, ſicut propriè damnat incredulitas: ſed in eum reſpicit, qui ſit nobis iuſtitia, fide gratis data, gratis etiam apprehenſus.

Iunius etiam in 11. cap. ad Hebræos comm. 1. Fidem deſcribit Apoſtolus duabus proprietatibus. Vna proprietas eſt

 fidei,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

fidei, cum eorum, quæ ſperantur, ſubſtantia appellatur: Altera, cum argumentum dicitur earum rerum, quæ non videntur. Etſi autem hæc duo attributa fidei propria ſunt illius in hoc argumento: quia hic agitur de ÿs rebus, quæ rationem & naturæ lucem omnino tranſcendunt. Tamen utcunque prædicationes hæ accipiantur, neceſſe eſt figuratas dici: quia de fide inſtrumentaliter non autem propriè & eſſentialiter, ut ita loquamur, intelligendæ ſunt. Et eæ prædicationes ſi inſtrumentaliter, ſiue metonymicè accipiantur, videtur locus commode explicari poſſe. Nam qua ratione Evangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti, eadem ratione fides eſt ſubſtantia earum rerum, quæ ſperantur, & indicium earum rerum, quæ non videntur. Eſt autem illud potentia Dei inſtrumentaliter, tanquam ſi dixeris inſtrumentum potentiæ Dei, quo videlicet Deus utitur ad ſalutem credentium. Non ſecus hoc loco fides eſt ſubſtantia eorum, quæ ſperantur inſtrumentaliter, ſiue inſtrumentum accipiens & continens ſubſtantiam eorum, quæ ſperantur, & ea percipiens in Domino. Similiterque inſtrumentum eſt rerum, quæ non videntur, hoc eſt, certiſsimum inſtrumentum, quo arguere poſſumus ea ipſa, quæ in ſenſum cadere non poſſunt, non eo minus eſſe, licet oculis noſtris minimè videantur. Denique ut Metonymiam hanc, quam evidentiſsimo poſsimus ſimili, exponamus. Fides eſt tanquam manus aut tanquam loculus apprehendens theſaurum gratiæ, quam Deus nobis exhibet in Chriſto Ieſu.

Si hæc dicta, quæ ex doctoribus a te allegatis deſcripſi, diligenter expendes, indicabit tibi tua conſcientia, te hic vel ex inſcitia impegiſſe, & horum ſcripta nunquam legiſſe: aut ex malitia hanc ſententiam illis per calumniam attribuiſſe, ut imperitos atque incautos falleres, illiſque perſuaderes, ſummos illos viros, Lutherum, Melanchthonem, Zanchiū, Pezelium, Bucerū, Calvinum, Bezam & Iunium approbaſſe & foviſſe Serveti & Socini furores, quos vos callidè & occultè in Eccleſiam introducere conamini. Rectius dixeritis vos ſpretis doctoribus noſtris hæc a Serveto & Socino didiciſſe. Vos enim dicitis Deum habere fidem pro perfecta legis iuſtitia. Sed hoc ipſum docet Socinus de Chriſto Servatore fol. 335. *Cum fides noſtra nobis ad*

iuſtitiam

iuſtitiam imputatur; ſenſus eſt, fidem noſtram pro iuſtitia haberi. Et fol. 333. *Deo viſum eſt fidem noſtram nobis iuſtitiæ loco ducere.* Quod item dicitis fidem eſſe illam iuſtitiam, quâ coram Deo iuſtificamur, ex ijſdem fontibus hauſiſtis. Servetus lib 2, de Lege & Evangelio: ut teſtatur Calvinus explicat. errorum Serveti pag. 903. lin. 33. ſcribit *Abraham fuiſſe iuſtum propter unum fidei actum.* Socinus de Chriſto Servatore fol. 386. *Fides in Chriſtum nos iuſtos coram Deo conſtituit.* Et fol. 388. *Deo fidere ſemper hominem reddit iuſtum.* Et fol. 398. *Fides per ſe nos iuſtificat.* Dices fortaſſe vos non dicere, fidem per ſe nos iuſtificare. Quid tum? Etſi enim hac phraſi fortaſſe non utimini, tamen hocipſum ex veſtra ſententia neceſſario ſequitur. Si enim fides propriè dicta, eſt illa iuſtitia, qua coram Deo iuſtificamur, tum fides nos per ſe iuſtificat. Argumentum tale

Quod eſt noſtra iuſtitia, quâ coram Deo iuſtificamur, hoc nos per ſe iuſtificat.
Fides noſtra propriè ſic dicta, eſt noſtra iuſtitia, quâ coram Deo iuſtificamur.
Ergo fides noſtra nos per ſe iuſtificat.

Denique quod dicitis fidem non ex ſua natura, ſed ex gratuita Dei acceptilatione habere vim iuſtificandi, ab ijſdem præceptoribus didiciſtis. Servetus de Lege, & Evangelio lib. 2. ut eſt apud Calvinum explicatione errorum Serveti fol. 903. *Secundum naturam rei hoc non debebatur fidei Abrahæ, nec noſtræ, ſed ex gratia id ibi factum eſt.* Socinus de Chriſto Servatore fol 400. *Fides in Chriſtum qua iuſtificamur, nec perpetuam, nec abſolutiſſimam præceptorum Dei obſervationem ipſa per ſe continet, nec propria vi iuſtificat: ſed propter Dei clementiam, quæ eiuſmodi opus facientibus, quod ob eã rem Dei opus a Chriſto oppellatum fuit, iuſtitiam, quantumvis antea iniuſtis imputare dignatus eſt.* Hic appello omnes Paſtores Hollandiæ, ut his recte conſideratis iudicent, an non callidè & occultè conemini Serveti, & Socini blaſphemias in Eccleſiam Hollandicam introducere.

Bertius.

Multa etiam pro concione atque alibi noſtris excidunt iſtis ſimilia, quod ſignum eſt taciti aſſenſus, animique verum tacita ſuffragatione agnoſcentis.

Lubbertus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Non dubito quin ſint aliqui Paſtores apud vos,qui hos errores a vobis hauſerint: Quis igitur miretur eſſe apud vos,qui illos pro cócione alijs venditare ſatagant. Num poſſunt aliud dicere,quam a vobis didicerunt? Et cum hoc iſtic fieri iactitas, das intelligere recte facere fidos & orthodoxos Paſtores,quod tanto deſiderio,tantoque labore Synodum flagitant, & poſcunt: ut huic malo remedium afferre poſsint.

Bertius.

Sed videbitur tibi forte ex iſtis ſequi: fidei eſſe aliquod meritum, & aliquam eius dignitatem,ut ſtatuunt Pontificij, & proinde habere hominem,quo apud Deum glorietur. In quem tamen ſcopulum ne impingamus,cautione Apoſtolica admonemur: Sed non eſt ullum in hac parte periculum. Nam principiò,fidem dat ipſe Deus, augetq; pro beneplacito ſuo,& coronat. Præterea, meritum & dignitas, & gloriatio ſunt legis; at ſides eſt opus Evangelij. Poſtremum, gratuita Dei acceptilatio,meritum humanum excludit, omnemq; oſtétationem,ut recte cum Apoſtolo dicere liceat: excluſa eſt omnis gloriatio: per quam legem? operum? nequaquam, imò per legem fidei: Nam ſi per legem eſſet iuſtitia, haberet utique homo, quo ſe efferret,cum vero iuſtificantur gratis ij,qui credunt in nomen Ieſu: ſequitur meritum nullum eſſe, niſi Chriſti. Gloriationem nullam niſi in Deo: dignitatem nullam niſi in eo,quod nos Deus gratis ex mera miſericordia ſua in Chriſto dignos habet

Lubbertus.

Scriptura dicit: hominem gloriari poſſe; ſi per opera iuſtificetur, Rom.4.2. *Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet quod glorietur*: Proinde ſi homo per ſuam fidem, tanquam per ſuum opus iuſtificatur, habet quod glorietur. Sed hoc miſſo,pronuncio hanc eſſe veram cauſam,quare dicamus vos Serveti, & Socini errores in Eccleſiam introducere velle. Etſi enim Papiſtæ doceant, nos per fidem proprie ſic dictam iuſtificari: tamen non docent fidem eſſe totam noſtram iuſtitiam: tantum docent fidem eſſe initium noſtræ iuſtificationis. Diſerte enim docent,fide inchoari noſtram iuſtitiam,& eandem charitate conſummari. Servetus verò & Socinus docent fidẽ eſſe totã noſtram iuſtitiam, ut ante oſtenſum eſt, & meritum reijciunt. Cum igitur vos dicatis nos fide proprie ſic dicta iuſtificari: & contra Papiſtas negetis fidem eſſe tantum initium noſtræ iuſtificationis, addatiſque ex Serveto & Socino illam eſſe perfectam legis impletionem,

h.e. eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

h. e. eſſe totam & perfectam iuſtitiam, qua coram Deo iuſtificamur: Cum denique contra Papiſtas negetis meritum fidei, & cum Serveto, Socinoque ſtatuatis, illam ex Dei dignatione iuſtificare: Quilibet videt, vos propius ad Servetum & Socinum accedere, quam ad Papiſtas, & ob eam cauſam rectius dici poſſe, vos eſſe Serveti & Socini diſcipulos, quam Papiſtarum.

Bertius.

Dices ineptum videri nos habitu, ſiue qualitate nobis inhærente iuſtificari & ſervari.

Lubbertus.

Certè videtur hoc nobis ineptum. Diſertè enim inquit Spiritus Sanctus per Apoſtolum ad Phil. 3. 9. *Vt inveniar in eo non habens meam iuſtitiam, ſed quæ eſt Chriſti per fidem.* At vero fides, hoc eſt, qualitas mihi inhærens eſt mea fides item mihi inhærens eſt mea, ut antè oſtenſum eſt. Argumentum tale.

Qui non iuſtificatur per ſuam iuſtitiam, ille non iuſtificatur per fidem ſuam tamquam per opus ſuum, ſeu, per qualitatem ſibi inhærentem.

Apoſtoluus non iuſtificatur per ſuam iuſtitiam.

E. *Non iuſtificatur per fidem tanquam per opus ſuum, ſiue per qualitatem ſibi inhærentem.*

Mecum ſentit Ioannes Calvinus Antidoto Concilij Tridentini ſeſſ. 6. fol. 389. *Falſum* (inquies) *eſſe contendo nullam iuſtitiæ partem in qualitate ſitam eſſe, vel habitu, qui in nobis reſideret, ſed gratuita acceptione* (*fortaſſe legendum acceptatione*) *nos eſſe iuſtos: Nam cum docet Apoſtolus propter unius obedientiam iuſtos conſtitui multos, ſatis oſtendit nos aliunde mutuari iuſtitiam, cuius in nobis indigemus.* Deinde idem Apoſtolus dicit ſe cupere, *ut inveniatur habens eam ſc. iuſtitiam: quæ eſt Chriſti.* Atque hoc eſt quod idem Apoſtolus ſcribit Rom. 5. 19. *Per unius obedientiam iuſti conſtituuntur multi.* Et Rom. 3. 24. *Iuſtificamur autem gratis, id eſt, eius gratia per redemtionem factam in Chriſto Ieſu.* Verum

Qui iuſtificātur iuſtitia Chriſti, illi non iuſtificantur qualitate ſibi inhærente.

Omnes autem ſalvandi iuſtificantur iuſtitia Chriſti.

E. *Non iuſtificantur qualitate ſibi inhærente.*

Maior

Maior tibi concedenda eſt, niſi velis eò abſurditatis prolabi, ut dicas nos duabus perfectis iuſtitijs, ijſque in diverſis ſubiectis inhærentibus; una ſc. Chriſti; altera noſtra iuſtificari.

Bertius.

Quid? ineptumne etiam videbitur, ſi id dicat Deus? At negas fortè dicere, Nullam enim, inquies, aliam iuſtitiam agnoſcit quam Chriſti, quæ per applicationem noſtra fit. Quid ergo ſibi illa volunt, quæ ſupra a nobis allata fuit? quid iſtud? *Crede duntaxat, & ſervaberis?* enimverò negari non poteſt, quin iſtis verbis qualitas nobis imperetur. Quid autem iſta? *Videns Chriſtus eorum fidem, dixit, confide fili, remiſſa ſunt tibi peccata tua*, Matth.9.2. *Fiat vobis ſecundum fidem veſtram.* Matth.9.29. *Per fidem in nomen Chriſti hunc, quem conſpicitis, ac noſtis, confirmavit nomen Chriſti. Fides inquam per Chriſtum dedit huic integritatem iſtam coram omnibus vobis.* Acto.3.16. *Per fidem Chriſti habemus aditum ad Deum*, Epheſ.3.12.

Lubbertus.

Nuſquam Scriptura dicit. *Fidem haberi a Deo pro tota, & perfecta legis impletione.* Neque uſquam dicit *nos habitu nobis inhærente iuſtificari.* Neque uſquam dicit, *Fidem propriè ſic dictam eſſe illam iuſtitiam, qua coram Deo iuſtificamur.* Quin Scriptura nullam aliam iuſtitiam (qua ſcilicet nos iuſtificemur) agnoſcit, quam illam, quam nobis filius Dei ſuo ſacrificio, ſiue ſua morte acquiſivit. Act.4.12. *Non eſt in alio quopiam ſalus, nec eſt aliud nomen ſub cœlo, quod datum ſit inter homines, per quod oporteat nos ſervari.* Rom, 5.19. *Per unius obedientiam iuſti conſtituentur multi.* Rom.3.24. *Iuſtificamur gratis, eius gratia per redemtionem factam in Chriſto Ieſu.* Rom.5.19. *Iuſtificati ipſius ſanguine.* Et verſ.10. *Reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius.* 1.Ioa.1.7 *Sanguis Ieſu Chriſti purgat nos ab omni iniquitate.* Hæc obedientia, ſiue mors, ſiue ſanguis Chriſti, ſiue redemtio per Chriſtum facta (nam hæc omnia pro eodem accipio) eſt illa iuſtitia, qua coram Deo iuſtificamur. Tu hoc concedis; ſed addis etiam aliam iuſtitiam, eamq; noſtram, nempe fidem. Et dicis hanc haberi a Deo pro perfecta legis impletione, & eſſe illam iuſtitiam, quâ coram Deo iuſtificamur. Sed ſi hoc verum eſt, tum ſunt duæ perfectæ iuſtitiæ, eæque in diverſis ſubiectis in hærentes, una ſcil. in Chriſto, altera in nobis, quibus nos coram Deo iuſtificemur. Verum ego paulò ante docui omnes ſalvandos, una eademque iuſtitia iuſtificari. Equidem Apoſtolus pronuntiat multos unius obedientia iuſtos conſtitui. Idem docet

omnes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

omnes ſalvandos iuſtificari per redemtionem factam in Chriſto Ieſu. Quin docet unica oblatione conſecrari in perpetuum eos, qui ſanctificantur. Explica quæſo quomodo hæc duo cohæreant

Omnes ſalvandi iuſtificantur unâ & eâdem iuſtitiâ.
Omnes ſalvandi non iuſtificantur unâ eâdemque inſtitiâ, ſed duabus, ijſque diverſiſſimis iuſtitijs.

Denique noſtri infantes, fide propriè ſic dicta iuſtificari non poſſunt: nondum enim ſunt fidei capaces: aut igitur tibi dicendũ erit, omnes ſalvandos eâdem iuſtitia iuſtificari: aut noſtros infantes prorſus non iuſtificari: aut denique hæc nova iuſtitia a Serveto primum excogitata, & a Socino educata, eſt tibi prorſus repudianda. Sed iam cupio abs te diſcere, quænam præcedat: Illane iuſtitia Chriſti, an noſtra? an utraque nobis ſimul imputatur. Dum in hoc explicando laboras, perpende an non alterutra ſit ſupervacua. Chriſti enim iuſtitia aut eſt perfecta aut imperfecta. Si imperfecta, vana eſt Scriptura. Hæc enim docet Heb. 10. 14. *Unica oblatione conſecrantur in perpetuum omnes qui ſanctificantur.* Et 1. Ioan. 1. 7. *Sanguis Ieſu Chriſti mundat nos ab omni iniquitate.* Sin verò eſt perfecta, hæc veſtra altera iuſtitia eſt ſupervacua. Et vice verſa. Si fides noſtra propriè ſic dicta eſt perfecta iuſtitia noſtra, & nos illa perfecte iuſtificamur, tum iuſtitia Chriſti eſt prorſus ſupervacua. Sed nolo hoc nunc ulterius perſequi, paulò enim poſt ex veſtra doctrina oſtendam vobis eò tandem neceſſario deveniendum eſſe: ut iuſtitia in Chriſto cum Serveto, Socino, Oſtorodo prorſus excludatis. Nunc tantum dico de noſtri apud Deum iuſtificatione, eſſe doctrinam fidei: Fidem autem ſolo Dei verbo niti, non humanis rationibus. Lege igitur nobis in Scriptura, quod duplici iuſtitia, una Chriſti, altera noſtra perfectè iuſtificamur. Sed lege in claris & perſpicuis Scripturis, quæ non in hunc & illum modum explicari poſſunt. Fides enim noſtra, ut nunc dixi, nititur claro et perſpicuo Dei verbo. Dices ſcriptum eſſe. *Credenti in eum qui iuſtificat impium fides imputatur ad iuſtitiam.* Sed hæc eadem dicit, *Nos unius obedientia iuſtos conſtitui*, hoc eſt, unius Ieſu Chriſti obedientia nobis ad perfectam iuſtitiam imputari: Hæc inquam duo leguntur in Scriptura. Videndum igitur eſt eodemne an diverſo modo intelligi debeant. Quod ut fiat ſic procedo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Quod nobis imputatur a Deo ad iuſtitiam, illo iuſtificamur. Sed fides noſtra, & obedientia Chriſti imputatur nobis ad iuſtitiam.

E. Fides noſtra & obedientia Chriſti ſunt illa, quibus coram Deo iuſtificamur.

Hactenus inter nos convenit. Sed obedientia Chriſti eſt illud quo iuſtificamur: *Per illam enim iuſti conſtituimur apud Deum* Rom. 5.19. Obtinet igitur locum cauſæ materialis in noſtri iuſtificatione. Sed fides non eſt illud, quo proprie iuſtificamur: neque per illam proprie ſic dictam iuſti conſtituimur; ac proinde non obtinet locum cauſæ materialis. Quid igitur? pertinet ad cauſam efficientem. Obtinet enim locum cauſæ inſtrumentalis. Eſt enim inſtrumentum iuſtitiæ Chriſti accipiendæ. Iam vides illud, per quod proprie iuſti conſtituimur apud Deum.: et hoc, per quod non proprie, ſed inſtrumentaliter tantum iuſti conſtituimur apud Deum, non habere ſe uno, eodemque modo in noſtri iuſtificatione. Proinde cum dicimus homo iuſtificatur obedientia Chriſti, eſt propria locutio: Cum vero dicitur. Fides imputatur credenti ad iuſtitiam, eſt impropria locutio. Denique, obedientiam Chriſti nos Dei iuſtitiæ, & iudicio opponimus. Eſt enim omnibus numeris abſoluta & perfecta. Sed fidem noſtram Dei iuſtitiæ & iudicio opponere non poſſumus. Eſt enim imperfecta & manca. Ratio eſt, quia illa eſt perfecta, & rigorem iuſtitiæ divini iudicij ſuſtinere poteſt. Hæc eſt imperfecta, & rigorem Iudicij, iuſtitiæque divinæ ſuſtinere nequit. Præterea tu ipſe dicis nos iuſtificari fide, quatenus fide accipitur iuſtitia Chriſti. Alio loco dicis nos iuſtificari fide inſtrumentaliter: Sed hoc modo nō iuſtificamur obediētia Chriſti. Hæc enim nō eſt inſtrumentum, quo Chriſti iuſtitiam recipimus, ſed eſt ipſa iuſtitia, quam fide tanquam inſtrumento recipimus. Manifeſtum igitur eſt, nos non eodem modo iuſtificari iuſtitia Chriſti, & fide nobis inhærente.

Vt ut ſit, in confeſſo eſt, nos fide tanquam inſtrumento iuſtificari. Iam verò nemo ignorat, inſtrumento per metonymiam tribui, quod eſt inſtrumentati. Proinde locutiones hæ; *Nos iuſtificamur fide. Fides imputatur credenti ad iuſtitiam. Fides te ſervauit*, ſunt impropriæ. Proprie enim loquendo non fide, ſed obedientia Chriſti, quam fide apprehendimus, iuſtificamur. Neque ſi proprie loqui velis, fides nobis imputatur ad iuſtitiam, ſed iuſtitia Chriſti fide apprehenſa, imputatur nobis ad iuſtitiam.

Bertius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Bertius.

Quid quod Apoſtolus ad Heb. toto capite undecimo hoc unum ex profeſſo docet. Fide apprehendente res a ſenſibus humanis remotas, patres olim iuſtitiæ teſtimonium reputaſſe, hoc eſt, iuſtificatos eſſe. Ob eam inquit teſtimonio iuſtitiæ fuerunt ornati maiores. *Abel per fidem obtulit gratum Deo ſacrificium, & per eam teſtimonio fuit ornatus, quod eßet iustus. Enoch per fidem fuit tranſlatus, ſed priusquam transferretur, teſtimonium obtinuit, quod gratus fuerit Deo. Noe per fidem conſtruxit arcam, & eius quæ est ex fide, iuſtitiæ factus eſt hæres.*

Lubbertus.

Scriptura non dicit illos ob eam ſc. fidem teſtimonio ornatos eſſe: ſed in ea, ſiue per eam, *entautæ.* Eraſmus per eam. Deinde teſtimonio ornari, non eſt idem quod iuſtificari, quocunque tandem modo illam particulam *entautæ* accipias. Poteſt enim fieri, ut ille, qui iam dudum iuſtificatus eſt, propter inſigne aliquod factum iuſtitiæ teſtimonio ornetur. Exemplo eſt Abraham. Hic enim cum ante multos annos iuſtificatus fuiſſet, (fuit enim ſine omni controverſia iuſtificatus, cum Deo per fidē auſcultaret, & abiret in locū, quem accepturus eſſet in hæreditatem, neſciens quo eſſet venturus Heb. 11. 8.) Idem ornatus eſt luculento illo teſtimonio Gen. 22. 16. *Per memet ipſum iuravi dixit Iehova, quandoquidem feciſti rē hanc quod non peperceris filio tuo unico. quod, inquam, benedicendo benedicam tibi, & multiplicando multiplicabo ſemen tuum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Iacob. 2. 21. *Abraham ille pater noſter, nonne ex operibus iuſtificatus eſt, cum obtuliſſet filium ſuum,* (hoc eſt) nonne iſto facto, tanquam illuſtri quodam teſtimonio iuſtus declaratus eſt? Hunc in modum hic locus explicari debet. Nam quod ad ipſam iuſtificationem, qua ſc. Abraham a peccatis ſuis abſolutus, & a Deo in gratiam receptus eſt, attinet, Abrahā iam ante multos annos iuſtificatus fuerat. Equidem ex eo quod Apoſtolus ſcribit Heb. 11. 8. ſine errore colligere poſſumus, eum fuiſſe iuſtificatum, cum ex patria ſua Deum vocantem ſequeretur. Præterea hoc ipſum, quod hoc loco ſcribit, docet nos fide iuſtificari inſtrumentaliter. Nam ſi ideo iuſtificamur fide, quod illa res a ſenſibus noſtris remotas, hoc eſt, divinam promiſsionem vel ut apertius dicam, rem promiſſam videlicet iuſtitiam Chriſti apprehendimus, tum fides proprie ſic dicta non eſt ipſa iuſtitia, qua co-

ram Deo iuſtificamur, niſi eo abſurditatis prolabi velimus, ut dicamus fidem eſſe inſtrumentum recipiendæ iuſtitiæ (quod toto genere differt a iuſtitia, quam apprehendit) & eſſe ipſam iuſtitiam, iſto inſtrumento apprehenſam ſimul , hoc eſt , eſſe in una eademque actione inſtrumentum & inſtrumentatum ſimul. Qui Logices non omninò ignarus eſt, erubeſcet, ſat ſcio, in hac doctrinæ luce tam craſſam abſurditatem defendendam ſuſcipere.

Bertius.

Si ergo fides eſt qualitas nobis inhærens : Hi verò omnes quos commemorat Apoſtolus fide iuſtificati ſunt, conſequens eſt eoſdem qualitate ſibi inhærente iuſtificatos eſſe.

Lubbertus.

Argumentum tale.

Fides eſt qualitas inhærens.
Patres noſtri iuſtificati ſunt fide.
E. Iuſtificati ſunt qualiate inhærente.

An non eodem modo dicere poſſum ?

Fides eſt ex illorum numero quæ ſunt pros Tí.
Patres noſtri iuſtificati ſunt fide.
E. Iuſtificati ſunt eo, quod eſt pros Tí.

Sed mittam hoc: ſunt autem quatuor termini. Fides enim in maiore accipitur abſolute : in minore relative. Repete illa, quæ paulò ante ex Melanchthone, Calvino ad ſimilem ſtropham refutandam adduxi.

Bertius.

Sed qualitate reſpiciente promiſsionem.

Lubbertus.

Hoc eſt, quod nos dicimus. Si enim iuſtificati ſunt fide, quatenus illa reſpicit promiſsiones : tum patres non ſunt fide tanquam qualitate abſoluta juſtificati. Quod enim abſolutum eſt , non habet reſpectum ad aliud. Quin cum hoc ipſum, quod abſolutum eſt recipit
reſpectum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

reſpectum, deſinit eſſe abſolutum, & fit relativum. Fides igitur etſi eſt in qualitate, tamen ſimulatque recipit reſpectum, eſt in relatione. Et quia illa reſpiciente ad promiſſionem gratiæ, hoc eſt, ad gratiam promiſſam, juſtificamur: certum eſt nos illa ut abſoluta qualitate non juſtificari. Ad hæc, ſi fide ut reſpiciente promiſſionem gratiæ juſtificamur: tum juſtificamur fide relativè ſumta. Nam fidem juſtificantem reſpicere ad promiſſionem gratiæ, idem eſt, quod fidem habere reſpectum ad promiſsionem gratiæ. Manifeſtum igitur eſt fidem relativè accipi, cum illa juſtificari dicimur. Habere enim reſpectum ad aliud, ſive reſpicere ad aliud, & eſſe relativum, a logicis, quod tu ignorare non debes, pro eodem accipiuntur

Bertius.

Neque enim quemquam ita infantem eſſe puto, ut poſt tot tamque validas *'apodéixeis* dicturus ſit fidem hic correlativè (ut loquuntur) ſignificare Chriſtum ipſum, & juſtitiam Chriſti.

Lubbertus.

Quas tu *'apodéixeis* jactes, præſertim tam validas, ego non video. Tu ipſe ex his, quæ ego ad illas annotavi, æſtimare potes, quot & quam validæ illæ ſint. In bonam partem accipio, quod meam infantiam perſtringis. Quoties enim mea cum tuis confero, libentur agnoſco infantiam meam. Verum non ego ſolus, ſed ſummi iſti viri, Lutherus, Melanthon. Bucerus, Calvinus, Zanchius, Beza, Hemmingius, Pezelius, Iunius, Martyr, & ut uno verbo dicam, omnes doctores noſtri, unanimi conſenſu docent, fidem in his propoſitionibus

Iuſtificamur fide.
Fides imputatur credenti ad iuſtitiam,

relativè accipi debere. Illos verò omnes tanquam infantes contemnere, poſſet quis, tanquam ſuperbè, & arroganter dictum, reprobare. Sed ego propterea tecum non expoſtulabo, ſive enim infantes ſimus, ſive non, ſatis nobis eſt, veritatem ſtare pro nobis. Hujus robore, non noſtra facundia freti, intrepidè pronuntiamus, fidem in iſtis propoſitionibus correlativè poni pro juſtitia Chriſti. Tu ipſe (tanta eſt vis veritatis) nobis aſtipularis. Dicis enim, *Nos fide, quatenus illa reſpicit promiſſionem gratiæ, juſtificari.* Nam ſi hoc verum eſt,

ut eſt veriſsimum: tum fides non abſolutè, pro qualitate nobis inhærente, ſed relativè pro eo, ad quod refertur, accipitur. Eſt enim ſimpliciter impoſsibile, ut illud nos juſtificet abſolutè, quod quatenus ad aliud reſpicit, nos juſtificat. Si quid potes in illa quam tantopere jactas apodictica, experire omnes tuas vires, & vide an poſſis hunc nodum ſolvere.

Bertius.

Nam de Chriſto quidem locis ex epiſt. ad Hebrœos allatis, diſertè, nihil.

Lubbertus.

Diſerte nihil? atqui legimus comm. 26. de Moſe, *Majores arbitratus divitias probrum Chriſti, quam Ægyptiorum Theſauros. intuebatur enim in præmij largitionem.* Deinde etiam ſi non multa diſertè dicantur iſto capite de Chriſto, implicitè tamen toto capite agitur de Chriſto. Agitur enim de illis rebus quas non niſi per Chriſtum percipimus, ut ſunt *T'a elpizomena*, verſ.4. *Ei placere per fidem.* verſ.6. *Adventus ad urbem cujus conditor eſt Deus*, verſ.10. *Promiſſa*, verſ.13. *Patria cæleſtis.* verſ.16. *Semen vocandum in Iſaac* verſ.18. & ſimilia: Quamquam quod de ſemine in Iſaac vocando ſcribit, diſertè ad Chriſtum pertinet. Priuſquam a cap. 11. ad Heb. decedam, adſcribam quod ſummus vir Hieronymus Zanchius præceptor meus doctè & eruditè de hac re ſcripſit lib. 4. de Natura Dei cap. 2. Theſi 2. *Nomen fidei, & verbum credendi apertè docent, iuſtitiam nobis aliunde advenire. Opus enim fidei eſt, ea, quæ extra nos ſunt, apprehendere; & perinde atque ſi iam ea poßideremus de ijs, quin noſtra ſint non dubitare. Sicut docetur ad Heb. 11.1. Quæ enim abſentia ſunt, & tantum in ſpe, ea quaſi iam ſubſiſtentia, & præſentia, repræſentat, & quæ non videntur, ea, quaſi ſub oculos ponit fides. Hæc igitur vel unica locutio per fidem, ſeu fide nos iuſtificari, ſatis eſſe deberet ad evincendum: nos non iuſtificari opere, aut virtute aliqua in nobis exiſtente: eoque nec ipſa fide, ut virtus & opus eſt: ſed re, quæ extra nos poſita eſt, favore ſcilicet Dei, & iuſtitia Chriſti.*

Bertius.

Bertius.

Præterea non ſunt idem, Chriſtus fide apprehenſus, & fides apprehendens Chriſtum. Nam ille eſt in cœlis, hæc eſt in nobis. Cum igitur de fide apprehendente loquitur Scriptura, videmus facile, quid nobis intelligendum ſit, niſi velimus ipſo meridie cæcutire.

Lubbertus.

Fateor: hæc duo non ſunt idem. Sed hinc ſequitur, hæc duo non eodem modo juſtificare credentem. Quid igitur? Iuſtitia Chriſti, fide apprehesa, nos propemodum juſtificat inſtar formæ. Per hanc enim juſtitiam juſtus eſt id, quod eſt, hoc eſt, per hanc juſtitiam eſt juſtus. Hæc enim juſtitia dat noſtri juſtificationi ſuum eſſe. At fides apprehendens hanc juſtitiam non juſtificat nos, inſtar formæ, ſed inſtrumentaliter tantum. Iam noſtri pueri ſciunt iſtam juſtitiam, quâ juſti conſtituimur, & inſtrumentum quo hanc juſtitiam recipimus, non juſtificare eodem modo; ſed unum propriè, alterum improprie, ſive ut in ſcolis loquimur, unum imputativè, alterum inſtrumentaliter.

Bertius.

Fides inquam apprehendens Chriſtum eſt fides, fides inquam, & non Chriſtus, aut juſtitia Chriſti.

Lubbertus.

Hoc ſcimus, & quo magis hoc urges, eo noſtram ſententiam magis confirmas. *Fides*, inquis, *non eſt ipſa Chriſti juſtitia.* Rectè: ſed hinc infero: ergo non eodem modo juſtificamur, fide, & juſtitia Chriſti. Vt enim penicillus non eſt albedo: & tamen utroque penicillo & albedine paries dealbatur: ſed non eodem modo, illo enim inſtrumentaliter, hac materialiter. Ita fides non eſt juſtitia Chriſti, & tamen utraque, fide ſc. & juſtitia Chriſti homo juſtificatur: ſed non eodem modo. Illa enim inſtrumentaliter, hac verò pæne materialiter. Si dicis penicillum dealbare parietem, omnes intelligunt hoc per Metonymiam ita dici. Penicillo enim ut inſtrumento per Metonymiam id tribuitur, quod eſt materiæ nempe albedinis. Plane eodem modo: cum homo dicitur fide juſtificari, tota Eccleſia noſtra novit per Metonymiam id tribui fidei, ut inſtrumento, quod eſt juſtitiæ Chriſti. Vt enim impoſsibile eſt penicillum, qui eſt applicandæ albedinis in-

nis inſtrumentum eſſe ipſam albedinem, ita etiam ſimpliciter impoſsibile eſt, fidem, quæ eſt recipiendæ juſtitiæ inſtrumentum, eſſe ipſam juſtitiam.

Bertius.

Poſtremum quid eſſet *Sophiſteu'ein*, ſi hoc non eſſet?

Lubbertus.

Iuſtitia, quâ nos juſtificamur, non eſt *hupóſtaſis* Sperandorum, neque elenchus non apparentium. Sed fides noſtra eſt *hupóſtaſis* Sperandorum, & elenchus non apparentium. E. fides noſtra non eſt iſta juſtitia, quâ juſtificamur. Ante ex Apoſt. docui hanc juſtitiam retegi in Evangelio ex fide in fidem. Qui poteſt autem eſſe ipſa fides, quod retegitur per fidem. Videris igitur, quâ conſcientia hanc doctrinam quæ tam clara eſt & tam certa, vocaveris Sophiſticam. Vt taceam doctores noſtros Lutherum, Melanthonem, Calvinum, Bucerum, Oecolampadium, Bullingerum, Simlerum, Martyrem, Zanchium, Beſam, Iunium, Vrſinum, Pezelium, Hemmingium & alios, qui hanc doctrinam nobis tam perſpicuè & clarè expoſuerunt, ex animo deteſtatos eſſe ſophiſticam: & hoc unicè dediſſe operam ut ſophiſticam ex ſcholis chriſtianis exterminarent.

Bertius.

Detur obſecro alia ſimilis lequendi formula in rerum natura, in quâ habitui animi tribuatur affectus, vel *pathos* ſui objecti; dicaturque poſtea formula illa vera, eſſe correlative ſumta. Triangulus ille quem in abaco depinxi, habet tres angulos pares duobus rectis. Ergone ſcientia mea, ſive animi mei qualitas rectè dicitur habere tres? Dicetur inquies, ſed correlativè. Albedo diſgregat viſum. Ergone viſus viſum diſgregat? imo inquies diſgregat, ſed correlativè.

Lubbertus.

Etiamſi non poſſet ſimilis loquendi formula dari, num propterea veritas non eſſet veritas? vel ſi ego tam eſſem indoctus, ut non poſſem ſimilem loquendi formulam tibi oſtendere, an propterea veritas in periculum veniret? Sane eodem modo clamat Socinus, cum deitatem Ieſu Chriſti oppugnat. Detur, inquiens, ſimile exemplum in rerum natura, quo finitum & infinitum, æternum, & temporarium tribuitur uni, & eidem hyppoſtaſi. Num

propterea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

propterea verum non eſt verum? num, inquam, Ieſus Chriſtus propterea non eſt æternus Deus, Patri coeſſentialis & coæqualis, & homo in tempore factus, nobis per omnia ſimilis, abſque peccato. Quod ſi Epicuri aliquis de gregre porcus negaret creationem, & diceret: detur in tota rerum natura ſimile exemplum, quo tanta rerum machina ex nihilo creata eſt; & ego non poſſem ſimile producere, an propterea ſequetur mundum non eſſe a Deo ex nihilo creatum? Planè in eundem modum, ſi ego ſimilem loquendi formulam producere non poſsim: an propterea, juſtitia Chriſti, & fides, quæ eſt etiam te confitente hujus juſtitiæ recipiendæ inſtrumentũ, nos juſtificant eodem modo? Et quia actus ille, ſc. juſtificare, tribuitur fidei, an propterea quod ego ſimilem loquendi formulam producere non poſsim, illi tribuitur propriè, & planè eodem modo, quo tribuitur juſtitiæ Chriſti? Equidem actus hic, videlicet, juſtificare eſt juſtitiæ Chriſti proprius, & ob eam cauſam non eſt juſtitiæ cum fide communis. Niſi fatearis, fatendum tibi erit, unum & eundum actum eſſe ſui ſubjecti proprium, & eſſe ſuo ſubjecto, cum alio ſubjecto, eoque ſeparato communem. Eſt enim fides a juſtitia Chriſti natura ſua ſeperata. Fides enim ſubjectivè eſt in te: juſtitia verò Chriſti non eſt ſubjectivè in te, ſed in Chriſto. Sed accidentia, quæ ſubjectis differunt, ea re ipſa differunt. Expende ipſe, an non ſit abſurdum dicere: unum & eundem actum eſſe alicujus ſubjecti proprium, & non eſſe illius proprium, ſed eſſe ei cum alio ſubjecto communem.

Deinde fruſtra me urges ut tibi ſimile exemplum producam. Oſtende prius in Scriptura ſcriptum eſſe. *Fidem juſtificare.* Cum hoc feciſti, tum me urge, ut ſimile exemplum producam. Scriptura dicit *nos juſtificari fide.* Rom. 3. 28. & 5. 1. Eadem docet *hominem juſtificari per fidem.* Galat. 2. 16. Eadem docet, *Deum juſtificare Gentes ex fide.* Gal. 3. 8. Nuſquam autem dicet, *Fidem juſtificare hominem.* Tu ipſe infra ſcribis. *Hanc ego cauſam arbitror, cur nuſquam dicat Scriptura fidem juſtificare.* More igitur Puerorum facis, cum me urges, ut ſimile exemplum producam. Scriptura dicit. *Nos fide juſtificari.* Hujus exemplum dari poteſt ex Melanthone Prolegom. in Epiſt. ad Rom. Vt hæc oratio correlativè accipitur, *fiducia theſauri ſui, dives eſt tranquillo animo, in annonæ difficultate*, id eſt, propter & theſaurum ſuum, dives eſt tranquillo animo. Ita cum audis, *fide juſtificamur*, mox veniat in mentem correlativa per miſericordiam propter Chriſtum juſti reputamur.

Sed en tibi & aliud exemplum ex Dionyſio Areopagita, quod autor libelli ex Ignatio ſumſiſſe videtur. De divinis nominibus ca. 4. *o' 'emos 'croos 'eſtaorootai*, id eſt, Amor meus eſt crucifixus. Cum tamen non ipſius amor, ſed correlativum amoris, vel quod idem eſt, res amata, hoc eſt, Ieſus Chriſtus ſit crucifixus. Vides ipſe crucifixum eſſe, tribui affectui animi, nempe amori. Intende ingenium tuum, & vide an hoc aliter, quam de objecto amoris, vel relativè de correlativo amoris, h. e. de Ieſu Chriſto, quem Ignatius amabat explicare poſsis.

Sed en tibi & aliud exemplum ex Scriptura Rom. 8. 24. *Spe ſervati ſumus*. Servare eſt actus Ieſu Chriſti, tribuitur autem ſpei, cum tamen Ieſus Chriſtus non ſit ſpes, ſed eius objectum. Vides igitur habitui animi tribui effectum, vel *pathos* ſui objecti. Porro ut ſpes ſalvat, ita eſt ſalus noſtra: ipſa autem ſpes nos non ſalvat, ſed eius objectum Ieſus Chriſtus nos ſalvat. Ergo ſpes etiam (ſi propriè loqui velis) non eſt ſalus noſtra, ſed eius objectum Ieſus Chriſtus eſt ſalus noſtra. Spes igitur propriè non ſalvat nos: ſed per Metonymiam hoc tribuitur ſpei quod eſt eius objecti, ad quod refertur, ſeu ad quod reſpicit, proprium. Porro idem eſt dicere, fidem juſtificare inſtrumentaliter, & correlativè: nam cum dicimus illam juſtificare inſtrumentaliter, tum intelligimus non ipſam fidem, ſed juſtitiam Ieſu Chriſti, cuius applicandæ inſtrumentum eſt fides, juſtificare. Cum verò dicimus illam relativè juſtificare, tum intelligimus illam poni pro ſuo correlativo, videlicet, pro juſtitia Chriſti, quam fides reſpicit. Res igitur eodem redit. Sive enim hoc, ſive illo modo explices: Manifeſtum eſt illi ut inſtrumento per metonomyam tribui, quod eſt inſtrumentati, vel tribui illi relativè, quod eſt correlativi, ad quod reſpicit, & ad quod refertur proprium. Hujus doctrinæ auctorem tibi do Magnum Vrſinum: qui in Catecheticis commentarijs de juſtificatione. Quæſtione 6. *Vulgo dicitur*, inquit, *fide iuſtificamur correlative, hoc eſt, eo iuſtificamur quod eſt correlativum fidei, nempe merito Chriſti ad quod refertur, ſeu quod apprehendit fides. Nam fides, & ſatisfactio Chriſti habent ſe correlativè, ut accipiens, & acceptum. Rectè autem ſic loquimur, quia tunc fides de cauſa formali iuſtificationis intelligitur, & ſenſus eſt, meritum Chriſti iuſtificat, non fides; apprehenſum iuſtificat, non apprehendens inſtrumentum. Sed iuſtificatio*

etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

etiam ſine relatione rectè tribuitur fidei, ut cauſæ inſtrumentali. Fide iuſtificamur, hoc eſt, per fidem, ut per medium. Vſitatè enim effectus cauſæ efficientis tribuitur inſtrumento. At cum dicitur, fides imputata eſt ei ad iuſtitiam, & aliæ eiuſmodi propoſitiones, neceſſariò tantum correlativè ſunt intelligendæ, quatenus nimirum fides eſt apprehenſæ iuſtitiæ inſtrumentum, & veluti manus, quâ iuſtitia Chriſti accipitur.

Exemplum de triangulo habente tres æquales duobus rectis, & de albedine viſum diſgregante, ſunt diſsimilia; quanquam paulo poſt de illo nonnihil dicemus.

Bertius.

Pudet iſtarum ineptiarum, quæ ſub veritatis titulo hodiè aut heri inventæ ſunt. Docuerunt enim nos majores noſtri, id quod res eſt, actum correlatium eſſe eum, qui reſpicit objectum, non autem objectum ipſum.

Lubbertus.

Comprime hanc intemperiem. Nos ſcimus hoc verum eſſe, & ad nauſeam uſque inculcamus. Propterea dicimus, actum fidei, videlicet, credere, non eſſe ipſam juſtitiam, ſed reſpicere juſtitiam. Hæc enim eſt objectum, in quod fides reſpicit; vel eſt correlativum ad quod fides refertur. Verum ſi credere eſt proprius fidei actus: tum juſtificare non eſt propriè eius actus: & ſi ei tribuatur, hoc fit impropriè, videlicet, per metonymiam. Ratio eſt, quia nullus habitus animi habet duos actus proprios. Intrepidè igitur pronuncio unum illi tribui propriè, alterum impropriè. Dicam paulò clarius. Duo actus, videlicet, juſtificare, & credere tribuuntur fidei. Vni autem habitui, ut fidei, duo actus propriè tribui non poſſunt. Aut igitur credere, aut juſtificare non propriè attribuitur fidei. Sed credere tribuitur ei propriè. Iuſtificare igitur eidem impropriè tribui neceſſe eſt.

Bertius.

Cum ergo nunquam actus objecti tribuatur habitui apprehendenti: fidei autem hoc tribuat Scriptura, ut reputetur in juſtitiam, ut ſaluet, ut ex ea vivamus: ſequitur fidem propriè accipiendam eſſe, pro habitu, ſine obedientia illa, quæ præſtatur Evangelio, eaque nos propriè, ſed tamen gratis juſtificari a Deo, & ſalvari.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Lubbertus.

Nuſquam Scriptura dicit *fidem juſtificare*; neque dicit, *fidem eſſe illam juſtitiam, qua coram Deo juſtificamur*; neque dicit *Deum habere fidem pro tota legis juſtitia*. Et quia tu contrarium aſſeveras, oſtende locum ubi Scriptura ita loquatur. Sed examinemus hanc tuam ratiunculam paulò diligentius. *Actus (inquis) objecti non tribuitur habitui. Juſtificare tribuitur habitui, nempe fidei. Ergo juſtificare non convenit objecto, hoc eſt, juſtitiæ Chriſti: Sed propriè convenit fidei.* Si hoc ad formam ſyllogiſticam inflectere velis, formandum eſt in hunc modum.

Quicunque actus tribuitur habitui, ille non eſt obiecti, ad quod habitus, cui actus tribuitur, reſpicit.
Sed tò iuſtificare tribuitur habitui, nempe fidei.
Ergo tò iuſtificare non eſt obiecti, nempe meriti Chriſti, ad quod fides reſpicit. Vel quod idem eſt,
Quod propriè tribuitur fidei, hoc fidei obiecto, nempe obedientiæ, ſive iuſtitiæ Chriſti propriè tribui nequit.
Sed tò iuſtificare propriè tribuitur habitui, nempe fidei.
Ergo tò iuſtificare obiecto fidei, nempe obedientiæ, ſive iuſtitiæ Chriſti propriè tribui nequit.

Expende hanc tuam ratiunculam diligenter, & judica ipſe, quam procul abſis a Serveto & Socino. Nos ante reſpondimus, falſum eſſe, quod aſſeris, tò juſtificare tribui fidei in Scriptura. Et quia tantopere protervis, non debes ægre ferre, quod te urgeo, ut oſtendas, ubinam Scriptura dicat, *fides juſtificat*.

Bertius.

Sed verêris, ſcilicet, ne ulla fidei, hoc eſt, qualitati nobis inhærenti cauſalitas hoc pacto aſcribatur. Atqui id facit Scriptura. Enimverò non decet nos ſapientiores eſſe ipſo Deo.

Lubbertus.

Ego verò hoc non vereor, & qui poſſum hoc vereri, cum dicam, fidem eſſe inſtrumentum noſtræ coram Deo juſtificationis? An putas me adeo rudem eſſe logices, ut neſciam inſtrumentum ad cauſam efficientem referri debere?

Bertius.

Bertius.

Audivimus paulò ante ex Apoſtolo: Patres propter fidem juſtitiæ teſtimonio ornatos fuiſſe. Audi nunc quid *Syrophœniſſæ* dicat Dominus marci 7.29. *Propter hunc ſermonem vade, exijt Dœmonium a filia tua.* Fuit enim ſermo eius, ſermo fidei, ut quæ crederet ad ſe quoque licet gentilem pertinere Chriſtum eiuſque beneficia. Iccirco etiam addidit Dominus: *Mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.*

Lubbertus.

Ego ſanè hoc non audiui. Legimus quidem in Epiſt. ad Hebræos cap. 11. comm. 2. *'en tautæ, in hac fide teſtimonium conſequuti ſunt ſenes.* Et comm. 4. *di æs, per quam teſtimonium obtinuit, quod eſſet juſtus.* Illud verò *propter fidem*, quod tu ſcribis, fruſtra quæſiveris in hoc toto capite. Quin exiſtimo in tota ſacra Scriptura non reperiri hanc phraſin: *Homo juſtificatur dià piſtin, propter fidem.* Deinde eſt magna differentia inter hæc duo: Homo propter fidem ornatur teſtimonio: Et homo propter fidem juſtificatur. Illud enim poſſet verum eſſe, hoc non. Locus Marci 7.29, *Propter hunc ſermonem evaſit Dœmonium:* nihil facit ad rem. Non enim quæritur an illud propter hunc ſermonem abierit? Sed an nos propter fidem juſtificamur. Deinde illud docet Scriptura, *dià tuuton ton logon*; quod non potes aliter interpretari, quam *propter hunc ſermonem*: hoc non docet Scriptura. Nuſquam enim docet nos *dià piſtin, propter fidem* juſtificari. Sed ubique docet nos *dià piſteoos per fidem juſtificari.* Iam verò tu ipſe non ignoras eſſe magnam differentiam inter has duas,

Homo iuſtificatur dià piſteoos per fidem,
Homo iuſtificatur dià piſtin propter fidem.

Bertius.

Paulus quoque ad Rom. cap. 4. ſcribens, poſtquam verba illa poſuiſſet & explicaſſet: *Credit Abraham Deo,* ſubijcit, *quapropter etiam hoc imputatum eſt ei in iuſtitiam.*

Lubbertus.

Subijcit quidem, ſed poſt magnum intervallum. Neque ex illo capite docere potes, quod Abrahamo juſtitia propter fidem, tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

quam propter aliquod opus imputata ſit. Particula enim *quapropter* notat conſequentiam, non conſequens. Neque potes ex hoc capite docere, Deum habere fidem pro perfecta legis impletione. Sed neque ex hoc capite docere potes, fidem eſſe ipſam juſtitiam, quâ coram Deo juſtificamur. Sed contrarium ex hoc capite doceri poteſt. Apoſtolus enim totus in eo eſt, ut doceat Abrahamum propter nulla opera: ſed per fidem juſtificatum eſſe. Comm. 2. *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet quod glorietur, at non apud Deum.* Explica quæſo, quomodo verum eſſe poſsit: Abrahamum non eſſe operibus juſtificatum. Et, eſſe aliquo opere, nempe fide juſtificatum. Nam hæc duo

Abraham non eſt iuſtificatus operibus.
Abraham eſt iuſtificatus opere.

Non benè cohærent. Ego certè illa nullo modo conciliare poſſum. Eodem cap. ſcribit Apoſtolus, comm. 6. *eum hominem eſſe beatum, cui Deus imputat iuſtitiam abſque operibus.* Ex quo neceſſario ſequitur, juſtitiam, quæ nobis imputatur, non conſtare operibus noſtris. Verum ſi nô conſtat operibus noſtris, tum fides noſtra propriè ſic dicta, non eſt illa juſtitia, quæ nobis imputatur. Fides enim propriè accepta, eſt opus noſtrum. Quin Apoſtolus hoc ipſo cap. comm. 13. juſtitiam, qua juſtificamur, a fide diſtinguit. *Promiſſio* (inquiens) *ceſſit Abrahæ per iuſtitiam fidei.* Huic ſimile eſt illud Rom. 1. 17. *Iuſtitia Dei per illud retegitur ex fide in fidem.* Phil. 3. 9. *ut inveniar in eo non habens meam iuſtitiam, quæ* (interprete Beza) *eſt Chriſti, per fidem.* Rom. 3. 21. *Nunc autem abſque lege iuſtitia Dei patefacta eſt, comprobata teſtimonio legis, & prophetarum, iuſtitia inquam Dei per fidem Ieſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes qui credunt.* Rom. 10. 6. *Quæ ex fide eſt iuſtitia, ita dicit, ne dixeris, &c.* & comm. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam.* Hebr. 11. 7. *factus eſt hæres eius iuſtitia, quæ ex fide eſt.* Vide, hæc juſtitia, qua juſtificamur, ex fide eſt, & eſt per fidem; & fidei actus ad illam fertur. Manifeſta ſunt Apoſtoli verba: *Corde creditur ad iuſtitiam.* Ergo fides noſtra propriè accepta, non eſt ipſa iuſtitia, quâ nos coram Deo juſtificamur.

Bertius.

Hiſce locis negari non poteſt, quin cauſa indicetur.

Lubbertus.

Lubbertus.

Nos jam multis oſtendimus fidem eſſe inſtrumentalem cauſam noſtræ juſtificationis. Hoc igitur ſi in genere loqueris, neque cauſam noſtram lædit: neque tuam juvat. Si verò ad aliud genus cauſæ trahas: peto ut ſententiam tuam magis explices. Illa intellecta de pleniore reſponſione cogitabimus.

Bertius.

Cum toties legatur nos juſtificari *dià piſteoo s*, quæ Grammatica vetabit hic cauſam aliquam intelligere?

Lubbertus.

Nulla: neque qui aſſerit fidem eſſe cauſam inſtrumentalem, omninò negat illam eſſe aliquam juſtificationis cauſam. Crediderim ego hic aliud latere, videlicet, velle innuere authorum hujus ſcripti, fidem propriè dictam, eſſe materiam aut formam noſtræ juſtificationis. Sed quandiu hoc pus non erumpit, non erit neceſſe, ut nos aliquid abſtergamus.

Bertius.

Præterea, cum univerſalis affectio per illud neceſſariò conſtituatur, quo primum adjuncto ſtatim tollitur prædicatum. (i poſt cap. 5.) efficitur neceſſariò poni juſtificationem poſita fide, quandoquidem ea ſublata, tollitur omninò juſtificatio.

Lubbertus,

Loqueris, opinor, de univerſali poſterioriſtico. De hoc enim verum eſt, quod ſcribis: Subjecto ſublato, tollitur affectio, & poſito, ponitur. Sed poſterioriſticum univerſale ineſt omni ſubjecto per ſe, & quatenus ipſum, hoc eſt, ineſt ſubjecto per ſe & cum reduplicatione. Hoc autem eſt totum in ſuo ſubjecto, & extra illud non reperitur: ut habere tres angulos æquales duobus rectis, eſt univerſalis affectio trianguli: atque hæc affectio eſt tota in triangulo, & extra triangulum non reperitur. Hæc eſt cauſa, quare poſito triangulo ponatur æqualitas trium angulorum duobus rectis, & ablato auferatur. Hæc tua theſis eſt cauſa, quare ſtatuam vobis (ſi tamen vobis ipſis conſtare vultis) neceſſariò tandem eo deveniendum eſſe, ut cum *Serveto*, *Socino* & *Oſtorodo* meritum ſiue ſatisfactionem Chriſti pro nobis factam omnino tollatis, dicatiſque neque Chriſtum nobis juſtitiam peperiſſe, neque nos ipſius juſtitia nobis imputata juſtificari.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

juſtificari. Nam ſi juſtificare eſt univerſale *pathos* fidei, ut tu dicis, tum totum juſtificare eſt in fide; & extra fidem non reperitur. Hoc ita eſſe aſtruxi illo argumento: poſita fide, ponitur juſtificatio: & ſublata fide, aufertur juſtificatio. Socinus fere idem dicit cum inquit: *fides per ſe iuſtificat nos*. De Chriſto Seruatore 398. Nondum diſputo, quam verum ſit, quod ſcribis; ſed tantum oſtendo, quid inde neceſſariò ſequatur. Sic enim colligo:

Vniverſalis affectio eſt tota in ſuo ſubiecto, & extra illam non reperitur.
Iuſtificare eſt univerſalis affectio fidei.
Ergo totum iuſtificare eſt in fide, & extra illam non reperitur.

Majorem tu ipſe, ut ante oſtendi, aſtruxiſti. Sed qui ſciunt quanta ſit vis univerſalis poſterioriſtici, apud illos non eſt neceſſe, ut eam probes. Hi enim illam ut principium demonſtrationis libenter admittunt. Minorem tu ipſe poſuiſti. Ergo hoc argumentum ut firmiſsimum fundamentum totius tuæ diſputationis libenter concedis. Certe nihil in eo negare potes, niſi velis ea, quæ ipſe poſuiſti, & approbaſti, imò quæ aſtruxiſti, negare. Hinc verò ſic progredior,

Quod eſt totum in fide, & extra fidem non reperitur, hoc non eſt in iuſtitia Chriſti.
Iuſtificare eſt totum in fide, & extra fidem non reperitur.
Ergo iuſtificare non eſt in iuſtitia Chriſti.

Quid contrahis frontem? Vniverſale *pathos* tantum eſt in ſuo ſubjecto, & extra ſuum ſubjectum non reperitur. Qui hoc negat, eſt indignus qui inter logicos numeretur. Sed juſtificare eſt univerſale *pathos* fidei, ut tu dicis. Ergo juſtificare tantum eſt in fide, & extra fidem non reperitur. Si juſtificare tantum eſt in fide, & extra fidem non reperitur; tum juſtificare non eſt in juſtitia Chriſti, neque in ea reperitur. Iuſtitia enim Chriſti, hoc eſt, obedientia a Chriſto pro nobis patri præſtita, non eſt fides noſtra.

Tu hæc fortaſſe non expendiſti ſatis, cum ſcriberes: *Juſtificare eſſe univerſalem affectionem fidei*. Credo ſanè, ſed crede etiam mihi, quod neceſſario tibi delabendum ſit ad furores *Serueti, Sonini & Oſtorodi*, ſi in

ſi in errore perſeuerabis. Nam ut illi negant, Chriſti mortem eſſe ſatisfactionem pro peccatis noſtris. Vt denique negant illam ſatisfactionem nobis imputari, & nos illa nobis imputata juſtificari: ita tibi etiam faciendum eſt, ſi tibi conſtare, & non a te ipſo diſſentire velis. Quorſum enim juſtitia Chriſti ſi non habet in ſe vim juſtificandi, & ſi nos non juſtificat. Sed audi aliud. Quod eſt fidei univerſale *pathos*, hoc juſtitiæ Chriſti univerſale *pathos* non eſt, nec eſſe poteſt. Nam quod unius ſubjecti, nempe fidei univerſale *pathos* eſt, hoc ipſum etiam alterius ſubjecti univerſale *pathos* eſſe, eſt ſimpliciter impoſsibile. Sed juſtificare eſt univerſale *pathos* fidei, ut tu aſtruis. Ergo juſtificare eſſe etiam univerſale *pathos* alterius ſubjecti, videlicet juſtitiæ Chriſti, eſt ſimpliciter impoſsibile. Quid igitur? Quæris? Ergo juſtitia Chriſti non habet vim juſtificandi; neque poteſt nos juſtificare. Si non habet vim juſtificandi, & juſtificare nequit: tum ut inutile & non neceſſarium commentum obijciendum eſt.

Hæc ſunt Serueti Socini, & Oſtorodi deliria. Ego, mi frater, cum tuas literas primum legerem, cohorreſcebam. Ponis enim illa in tuis literis, ex quibus impia illa & blaſphema Serveti, Socini, & Oſtorodi *bdelugmata* neceſſario ſequuntur. Nemo fit repentè peſsimus: ſed per gradus deſcenditur ad infimam nequitiam. Deinde Satan eſt aſtutus & vafer, occultis igitur ſtratagematis nos oppugnat. Videtur admodum ſpecioſum, aliquod poſitiuum in nobis inveniri, per quod juſtificemur. Homo enim eſt natura ſuperbus, & ſemper ferè in eo eſt, ut aliquid in ſe invenire poſsit, quod eum apud Deum juſtificet: vel ut apertius dicam, quo ille ſe apud Deum juſtificet. Hoc commentum a ſe inventum ponit juxta meritum Chriſti. Dum verò in eo aſtruendo laborat, talia adhibet argumenta per quæ meritum Chriſti deſtruat, & funditus evertat, & ipſe præceps in exitium ruat. Idem tibi accidit. Primum enim mutuatus es a Serveto, Socino, & Oſtorodo aliquod poſitivum in te, per quod juſtificeris. Hoc ponis juxta Chriſti meritum, ut ſcilicet, per utrumque juſtificeris. Sed cum illud confirmare contendis, talia ponis fundamenta, per quæ meritum Chriſti neceſſario evertitur. Sed audi tertium. Dixiſti in theſi: *fidem per gratuitam acceptilationem haberi a Deo pro perfecta legis impletione*, hoc eſt, *pro perfecta legis iuſtitia*. Atque hinc infers per eandem gratuitam acceptilationem competere fidei vim juſtificandi: vel quod idem eſt, fidem per gratuitam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Dei accepilationem juſtificare. Sed omnia hæc tantum verba ſunt, & a te ipſo deſtruuntur. Socinus eadem pene phraſi incautos faſcinat. Scribit enim fol. 400. de Chriſto Servatore. *Fides in Chriſtum, quâ iuſtificamur nec perpetuam nec abſolutiſſimam præceptorum Dei obſervationem ipſa per ſe continet, nec propria vi iuſtificat: ſed propter Dei clementiam, qui eiuſmodi opus facientibus iustitiam, quantumvis antea iniuſtis imputare dignatus eſt.* Meritò igitur dubito an ex imprudentia ita loquaris: nam in Pelagianicis audio te eſſe admodum exercitatum, & ob eam cauſam non ignoras, quomodo Pelagius hac voce *gratia* obuſus ſit, & quoties orthodoxos hac voce deceperit, Vt autem Pelagius ludit voce *gratia*. Et Socinus ludit voce *clementia Dei:* ita tu ludis voce *gratuita acceptilatione*. Vt ut ſit, tu te ipſum deſtrius, & quod ante poſuiſti, evertis. Vniverſale enim *pathos* vel eſt de eſſentia ſubjecti, vel ex eius eſſentia fluit. Sed juſtificare eſt univerſale *pathos* fidei. Ergo juſtificare vel eſt de fidei eſſentia, vel ex fidei eſſentia fluit. Hoc argumentum volens, nolens, mihi concedes. Major enim eſt per ſe nota, & demonſtratur ex ijs, quæ paulò ante ſcripſi. Minorem ipſe aſtruxiſti. Sic igitur progredior.

Quod ex fidei eſſentia eſt, vel ex fidei eſſentia fluit; hoc non competit fidei per gratuitam acceptilationem.

Sed iuſtificare vel eſt de fidei eſſentia, vel fluit ex fidei eſſentia.

Ergo iuſtificare non competit fidei per gratuitam acceptilationem.

Major eſt per ſe nota. Quod enim ſubjecto per gratuitam acceptilationem competit: hoc illi neque per ſe neque naturaliter competit: & vice verſa: quid ſubjecto per ſe & naturaliter competit: hoc non competit ei per gratuitam acceptilationem. Tuam igitur theſin per ea, quæ ipſe ponis, funditus evertis. In eundem modum luſit Socinus. Pagina enim 368. dicit, *fidem per ſe iuſtificare*. Pagina verò 400. dicit, *fidem non propria vi iuſtificare*. Verum ſi non propria vi juſtificat; tum non juſtificat per ſe: & vice verſa: ſi juſtificat per ſe, tum propria vi juſtificat. Addit eodem loco *propter Dei clementiam eſſe* quod juſtificat. Tu dicis *id propter gratuitam Dei acceptilationem eſſe*. Sed res eodem redit. Clementia enim Dei, & gratuita Dei acceptilatio vobis idem ſignificant. Porrò ut Socinus

ſibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

ſibi non conſtat, ita tu perpetuò fluctuas, ut ex his, quæ modo dixi, videre eſt.

Volui ergo hæc craſſa Minerva depingere, ut errorem videres, & in viam redires. Tu meam libertatem non ſolum in bonam partem accipe: ſed etiam concilium meum ſequere, niſi velis te ipſum præcipitem dare. Quid igitur dicendum eſt? An juſtificare non eſt univerſale *pathos* fidei? Non eſt. Infantes enim juſtificantur in infantia, & tamen fidem in infantia non habent, neque propter defectum ætatis habere poſſuut. Sed hoc fieri non poteſt, ſi juſtificare eſt univerſale *pathos* fidei. Poſita enim univerſali affectione, ponitur ſubjectum, & ablata aufectur: ut ante oſtenſum eſt: & tu ipſe in tuis literis ex Ariſtotele aſtruxiſti: ut poſita æqualitate trium angulorum duobus retis, ponitur triangulus, & ablata aufertur. Sed poſita juſtificatione, non ponitur fides, ut in infantibus regeneratis & juſtificatis. Quin neque ſublata fide, tollitur juſtitia, ut in futura vita. Iſtic enim deſinet fides, & tamen juſti non deſinent eſſe juſti. Sed quid ego hæc diſputo? Inſtar delirij fuerit dicere, juſtificare eſſe univerſale *pathos* fidei, cum ne quidem, ſi propriè loqui velis, eius *pathos* ſit: neque quiſquam hoc dicere ſuſtinebit, niſi velit dicere, inſtrumento per quod qualitas ſubjecto applicatur, ineſſe eam affectionem, quæ eſt propria iſtius qualitatis, quæ per inſtrumentum ſubjecto applicatur. Nam hac ratione dealbatio eſſet *pathos* penicilli, quod tam craſſum eſt, ut non exiſtimem quenquam eſſe, niſi externis ſenſibus orbatus ſit, qui hoc dicere ſuſtineat. Iuſtificare igitur, quod eſt juſtitiæ effectum, non poteſt fidei, quæ juſtitiæ applicandæ inſtrumentum eſt, *pathos* eſſe. Vides, opinor, juſtificare non ſolum non univerſalem fidei affectionem: ſed ne quidem affectionem eius eſſe.

Quod addis poſita fide poni juſtificationem, & ablata auferri ex ijs, quæ jam dicta ſunt: non ſimpliciter verum eſſe conſtat. Equidem in futura vita aufertur fides, & tamen juſti non deſinent eſſe juſti. In hac vita, poſita juſtificatione, non neceſſariò ponitur fides: ut in infantibus. Hi enim in infantia juſtificantur, & tamen fide non donantur. Vt manifeſtum ſit poſita juſtificatione, non ſemper poni fidem: & ablata fide, non ſemper auferri juſtitiam.

Vbique jactas meras *'apodéixeis*. Intende igitur omnes nervos tuos, excute omnes libros demonſtrationum, & vide an hunc nodum ſolvere poſſis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Bertius.

Denique, nos ipſi, cum vulgò dicimus, fidem eſſe organum, concedimus nos ei cauſalitatem aliquam tribuere; ſaltem inſtrumentalem, ſaltem ſecundariam. Sed nimirum aliud eſt cauſa meritoria, aliud cauſa, quam Deus gratis in Chriſto pro cauſa imputat, inque tabulas accepti refert. Hæc enim ita diluta eſt ut verè poſſet dici cauſa non cauſa.

Lubbertus.

Fidem eſſe cauſam inſtrumentalem non erat neceſſe, ut tam operosè ſcriberes: nos certè illud ultrò confitemur. Tu ipſe dicis fidem eſſe organum, hoc eſt, inſtrumentum. Sed cuius rei organum eſt? an non accipiendæ juſtitiæ? Verum ſi fides eſt inſtrnmentum juſtitiæ accipiendæ, tum non eſt ipſa juſtitita per inſtrumentum accepta. Eſſe enim unam & eandem rem inſtrumentum & inſtrumentatum (ſic loquor more logico) ſimul, eſt impoſſibile.

Bertius.

Minuſque adeo cauſalitatis adſcribunt fidei, qui credentis obedientiam gratis a Deo acceptari dicunt, quam qui hoc negantes aſſerunt, per eam, tanquam intrumentum juſtitiam Chriſti, quæ per imputationem noſtra fiat, apprehendi.

Lubbertus.

Qui poteſt fieri, ut minus cauſalitatis tribuas fidei, quam illi, qui dicunt fidem eſſe inſtrumentum accipiendæ juſtitiæ. Num ille qui dicit juſtificare eſſe univerſalem affectionem fidei, non plus cauſalitatis tribuit fidei, quam ille, qui fidem duntaxat inſtrumentum eſſe docet? At ille qui contendit juſtificare eſſe univerſalem affectionem fidei, ille docet fidem per ſe & ſua natura juſtificare. Triangulus enim per ſe, & natura ſua habet tres angulos æquales duobus rectis. Homo per ſe & natura ſua ridet. Canis per ſe, & natura ſua latrat. Bos per ſe, & natura ſua boat. De ſimilibus eſt idem judicium: neque ullum contrarium exemplum dari poteſt. Dicere autem illam rem: quæ per ſe, & natura ſua juſtificat, non plus habere cauſalitatis, ſc. ad juſtificandum, quam illam rem, quæ duntaxat inſtrumentaliter juſtificat, eſt ſe ipſis pueris deridendum proſtituere.

Noſtram obedientiam a Deo acceptari non negamus, ſed ut effectum noſtræ juſtificationis, non ut cauſam. Ratio eſt manifeſta.

Priuſquam

Priuſquam enim homo juſtificatur, eſt impius. Rom.4.5. *Qui juſtificat impium.* Et mortuus in peccatis ſuis. Epheſ.2.1. *Vivificavit vos cum eſſetis mortui in offenſis & peccatis.* Quam verò obedientiam præſtet ille, qui adhuc eſt impius, & mortuus in peccatis ſuis. Explicet ille, qui vera doctrina non contentus, novam introducere conatur. Deinde nota eſt illa maxima ab omnibus ferè patribus approbata. *Bona opera non præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum.* Adhæc, ſi per obedientiam, quam nos Evangelio præſtamus juſtificamur: tum juſtificamur per, ſive propter opera noſtra. Obedientia enim quam ipſi præſtamus eſt opus noſtrum. Sed hoc negat Scriptura Rom.4.2. *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet quod glorietur, at non apud Deum.* Rom.4.6. *Beatus homo, cui Deus imputat iuſtitiam abſque operibus.* Epheſ.2.8. *Gratia eſtis ſervati per fidem, idque non ex vobis, Dei donum eſt, non ex operibus ne quis glorietur.* Tit.3.5. *Non ex operibus iuſtis, quæ fecerimus nos, ſed ex ſua miſericordia ſervavit nos.* Vt taceam illam juſtificationem, quæ fit per noſtrum opus, cum gratuita juſtificatione conſiſtere non poſſe. Rom.11.6. *Si per gratiam, iam non ex operibus; alioqui gratia iam non eſſet gratia: ſin ex operibus, iam non ex gratia, alioquin opus iam non eſt opus.* Poſtremò nuſquam docet Scriptura, obedientiam illam, quam nos præſtamus, eſſe illam juſtitiam, qua nos coram Deo juſtificamur. Sed claris & perſpicuis verbis docet. *Obedientia unius* (Chriſti) *multos conſtitui iuſtos* Rom.5.19. hoc eſt, obedientiam Chriſti eſſe illam juſtitiam, qua nos coram Deo juſtificamur.

Bertius.

Inſtas tamen. Et ſi fides, inquis credentis, ipſi imputatur ad juſtitiam: futurum eſt, ut quiſque fidelis ſe ipſum ſaluet. Hic verò oſtendendum ad ſalutem in adultis requiri actum Dei, & actum hominis: ita tamen cum uterque agat, gloria eventus, ſive *'apoteleſmatos* ſoli Deo cedat, quo agente agit homo, non agente, non agit neque agere poteſt.

Lubbertus.

Rectè putas. Si enim operibus juſtificor, ego memetipſum juſtifico. Quatenus enim mea opera ſunt cauſa juſtificationis meæ, eatenus ego etiam ſum juſtificator meus. Proinde ſi fides mea habetur a Deo pro perfecta legis juſtitia, ſequitur ut & ego ſim perfectus juſtificator mei ipſius apud Deum. Quod hic ingeris de con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

curſu Dei, & hominis ad unum actum producendum; facis admodum intempeſtivè. Ad hunc enim actum, *iuſtificationem noſtri Deus non admittit ſocium:* ille enim ſolus eſt juſtificator noſter Eſaiæ 43. 25. *Ego, Ego ſum, qui deleo prævaricationes propter me, & peccatorum tuorum non recordor.* Marci 2. 7. *Quis poteſt remittere peccata niſi ſolus Deus?* Matth. 6. 9. *Vt ſciatis quod authoritatem habet filius hominis remittendi peccata:* (tunc dicit paralytico). *ſurge, tolle lectum tuum & abi domum.* Ezech. 37. 28. *Ego Jehova ſanctifico Iſrael.* Ieſaiæ 45. 25. *In Jehova iuſtificabitur & glorificabitur totum ſemen Iſrael.* Rom. 8. 30. *Quos vocavit, eos etiam iuſtificavit.* Et verſ. 33. *Deus eſt qui iuſtificat.* Nihil igitur reſtat, quam ut qui ſe ipſum juſtificat, etiam ſemetipſum adoret, & dicat ad ſe ipſum; *Remitte mihi debita mea.*

Bertius.

Eſt enim Dei prævenire hominem & antevertere: eiuſdem eſt cooperari, eiuſdem denique coronare. Agit igitur Deus: ſed & homo agit, actus nimirum a Deo: & ut hominis actione, Dei actio non tollitur: ita nec Dei actione, evertitur officium humanum.

Lubbertus.

Deus non ſolum prævenit nos, ſed vivificat nos, cum eſſemus mortui in peccatis noſtris ut paulò ante ex Apoſtolo docui. Sumus enim mortui donec a Chriſto vivificamur. Quid autem faciat homo mortuus, quod poſſet eſſe cauſa, quare a Deo juſtificetur. Deinde ſi verum eſt, quod ſcribis, hominem agere, ſed actum a Deo, quare non acquieſcitis, Calvino & Vrſino, illud myſterium providentiæ diuinæ, tam clarè, tam perſpicuè, & tam dextrè explicantibus? Sed de hoc alias.

Bertius.

Clara ſunt iſta Chriſti toties dicta, toties repetita: *Fides tua te ſervavit.* Clara etiam verba Pauli, 1. Tim. 4. 16. *Attende tibi ipſi & doctrinæ, perſiſte in iſtis, id enim ſi feceris, & te ipſum ſervabis, & eos qui te audierint.* Neque etiam abſcurum eſt illud Petri: *Eos qui credunt, fidei ſuæ finem reportare, ſalutem animarum ſuarum,* 1. Petri 1. 9. Et notum eſt B. Pauli *epinikion.* 2. Tim. 4. 7. *Fidem ſervavi, quod reliquum eſt, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Quid autem iſta Ioannis 1. cap. 12? *Qui ipſum receperunt ijs dedit prærogativam hanc ut filij Dei eſſent.* Quibus verò? ijs, *qui credunt in nomen eius.* Sed in his quantum cauſæ eſt, tantum etiam eſt efficientiæ ad ſalutem. Atqui oſtendi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

oſtendimus *tò aition* hic eſſe *mà aition*. Præterea gloria *tuu 'apoteléſmatos* ſoli Deo debet cedere.

Lubbertus.

Cum Chriſtus dicit, *Fides tua te ſervavit*. Eſt metonymia. Non enim fides propriè ſic dicta, ſed Chriſtus, quem fide apprehendit, ſervavit illam.

Ad locum 1.Tim.4. 16. reſpondeo. Miniſtrum, qui Evangelium prædicat, ſervare ſe ipſum & auditores ſuos, non propriè, ſed inſtrumentaliter. Prædicatio enim Evangelij eſt inſtrumentum, per quod fides in nobis gignitur. Deinde, *Deus poſuit in eis ſermonem reconciliationis* 2.Cor.5.19. Sed quid hoc ad rem? An quia miniſter prædicando dicitur & ſeipſum & alios ſervare, tu inferes eius fidem propriè ſic dictam eſſe cauſam & ſui juſtificationis & alterius? An verò dices illius perſeverantiam in doctrina eſſe cauſam, quare & ipſe, & ipſius auditores juſtificentur? Si hæc eſt meus tua, tum paſtor eccleſiæ non tantum ſe ipſum ſuis operibus juſtificare poteſt, ſed poteſt etiam ſuos auditores ijſdem operibus juſtificare: quo quid abſurdius dici poſsit, non video.

Libenter agnoſcimus credentes reportaturos eſſe finem fidei ſuę, hoc eſt, ſalutem æternam. Sed quid hoc ad rem? An tibi idem eſt reportare finem fidei ſuæ, quod fidem propriè dictam eſſe perfectam legis impletionem, vel eſſe illam juſtitiam, qua coram Deo juſtificamur?

Æquè libenter agnoſcimus repoſitam eſſe credentibus coronam juſtitiæ. An tu inde inferes fidem propriè ſic dictam eſſe plenam legis impletionem, aut eſſe illam juſtitiam, qua coram Deo juſtificamur?

Grato etiam animo confitemur, illis, qui Chriſtum recipiunt, hoc eſt, qui in Chriſtum credunt, dari illam dignitatem ut filij Dei fiant, & tamen negamus fidem propriè dictam eſſe plenam legis impletionem, vel eſſe illam juſtitiam, quâ coram Deo juſtificamur. Vno verbo, nuſquam dicit Scriptura, fidem propriè dictam haberi a Deo pro perfecta legis impletione. Neque uſquam dicit ſcriptura fidem propriè dictam eſſe illam juſtitiam, qua coram Deo juſtificamur. Docet autem ubique nos ſanguine Chriſti juſtificari, nos juſtos conſtitui obedientia Chriſti, donum juſtitiæ per unum *dikaioo-ma*, id eſt, injuriæ correctionem in nos redundare. Sanguinem Chriſti abluere omnia peccata noſtra. Sed hæc omnia nihil aliud ſigni-

ficant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

ficant, quam nos juſtitia Chriſti juſtificari. Eadem Scriptura docet nos hanc juſtitiam accipere per fidem: & corde creditur ad juſtitiam: ut nemo, niſi data opera errare velit, ignorare poſsit: fidem in his propoſitionibus accipi impropriè. Quod autem dicit, tantum eſſe in his, ſc. operibus noſtris efficientiæ ad ſalutem, quantum in illis cauſæ eſt; quorſum dicat, non video. Eſſe enim fidem cauſam inſtrumentalem jam ante docuimus. Si ulterius tendit, non juvat eum, quod ſcribit. Non enim debet ſcribere, tantum eſſe in illis efficientiæ, quantum eſt cauſæ. Nam ſi in illis nil cauſæ eſt, tum etiam nihil efficientiæ eſt in illis. Sed debet clarè & perſpicuè explicare, quantum cauſæ ſit in operibus noſtris ad ſalutem, ut hoc expendere, & ad normam verbi Dei examinare poſsimus.

Quoties ingerit hoc *aition* eſſe *mæ aition*, prodit cauſam ſuam. Antea enim docuit juſtificare eſſe univerſale *pathos* fidei. Sed ſi hoc verum eſt, tum fides eſt per ſe cauſa ſalutis noſtræ. Triangulus enim eſt per ſe cauſa æqualitatis trium angulorum duobus rectis. Homo eſt per ſe cauſa riſus. Bos eſt per ſe cauſa boatus. Canis eſt per ſe cauſa latratus. De ſimilibus eſt idem judicium: neque ullum contrarium exemplum produci poteſt. Cauſa hujus rei eſt, quod univerſale *pathos* vel eſt de eſſentia ſubjecti, vel fluit de eſſentia ſubjecti, ut ante oſtenſum eſt.

Adhæc fides habetur pro perfecta legis impletione, ut vult adverſarius. Eſt item fides ſecundum eundem adverſarium illa ipſa juſtitia, quâ coram Deo juſtificamur. Num perfecta legis impletio, & illa juſtitia, quâ coram Deo juſtificamur, eſt *aition mæ aition* noſtræ apud Deum juſtificationis? Apage has abſurditates. Dei judicium eſt juſtum, & eſt ſecundum veritatem. Non poſſumus igitur in illo judicio juſtificari, niſi propter perfectam & omnibus numeris abſolutam juſtitiam. Atque hæc juſtitia, propter quam nos apud Deum juſtificamur eſt non ſolum cauſa; ſed ſufficiens & perfecta cauſa noſtræ juſtificationis. Si quæris quænam ſit hæc perfecta & omnibus numeris abſoluta juſtitia, propter quam credentes juſtificantur? Reſpondeo eſſe ſatisfactionem pro nobis præſtitam. Hoc paſsim docet Scriptura. Rom. 5. 19. *unius obedientia juſti conſtituentur multi.* Rom. 3. 14. *Juſtificamur gratis*, hoc eſt, *eius gratia per redemtionem factam in Chriſto Jeſu.* Matth. 20. 28. *Filius homines venit, ut daret animam ſuam redentionis pretium pro multis.* Rom. 4. 24. *Traditus eſt in mortem propter offenſas noſtras, & excitatus eſt propter iuſtificationem noſtram.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

ſtram. Quod repetit de communi *apoteleſmate*, ſatis eſt quod ante diximus, Chriſtum ad conſortium hujus operis neminem admittere.

Bertius.

Atque hanc ego cauſam eſſe arbitror, cur nuſquam dicat Scriptura: fidem juſtificare: ſed ſemper & ubique credentem juſtificari, & fidem reputari a Deo gratis in juſtitiam.

Lubbertus.

Quia Scriptura nuſquam dicit fidem nos juſtificare, nos ita loqui non debemus. Cauſa, quarè Spiritus ſ. ab ejuſmodi vocibus abſtineat, eſt manifeſta. Docet ubique obedientiam Chriſti eſſe illam juſtitiam, quà nos coram Deo juſtificamur. Et paſsim inculcat juſtificationem eſſe actionem Dei, non noſtram. Non rectè igitur diceret, fidem nos juſtificare. Nam ſi fides non juſtificaret, tum nos ipſi quadantenus nos ipſos juſtificaremus. Deinde ſ.Scriptura diſertè denegat operibus noſtris vim juſtificandi. Qui igitur poſſet dicere fidem nos juſtificare? An non, ſi fides noſtra nos juſtificaret, aliquod opus noſtrum haberet vim juſtificandi, & de facto juſtificaret nos? Quod ſcribit Scripturam dicere, fidem a Deo reputari in juſtitiam, non eſt verum. Scriptura enim non dicit fidem a Deo reputari in juſtitiam: ſed dicit fidem reputari *credenti* ad juſtitiam. Inter hæc duo autem eſt magna differentia. Illa enim phraſis docet fidei aliquid tribui, videlicet, ut habeatur pro perfecta legis impletione: Hæc verò dicit homini aliquid tribui, vz. ut homo imputata ſibi Chriſti juſtitia, habeatur juſtus coram Deo.

Bertius.

Eſt autem hoc loco prædicanda Dei clementia, ita paternè cum filijs ſuis agentis, ut quod ipſe facit ſæpe nobis aſſcribat. Quis mulierem illam *aimorrouuſan* ſanavit? Chriſtus utique ex mera gratia. Sed audi Chriſtum: *fidis* (inquit) *tua te ſervavit*. Quis Samaritano lepram abſterſis? idem Chriſtus. Audi tamen iterum eundem Chriſtum: *fides* (inquit) *tua te ſervavit*. Quis cæco *Hierichunti* viſum reſtituit? Chriſtus. Idem tamen Chriſtus: *fides tua* (inquit) *te ſervavit*. Certiora hæc ſunt, quam ut negari poſſunt, ſnaviora, quam ut debeant. Agamus Chriſto gratias, & ex fide viciſsim hoc ipſi carmen *eucharistikon reponemus*. *Verè in Jehova Deo noſtra ſalus eſt Iſrael*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Ferè in eundum modum ludit Socinus pag. 421. *A Deo aliquid fieri dicitur, quod Dei voluntati conſentaneum eſt. Et omnia icc irco, quæ iuſtè ſunt facta, Deo tribuuntur. Quæ enim iuſtè facta ſunt, Dei voluntati ſunt maximè conſentanea. Hinc illa phraſis apud Hebræos, quæ etiam in alias linguas derivata eſt: Deum tangere cor alicuius, cum ſignificare volunt, aliquem Dei timentem eſſe, & ea facere, quæ Deus probat.* Paulò ante explicans illud Act. 13. 48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam*, dicit, *illud æſan tetagmenoi erant ordinati non incommodè etiam ita intelligi poſſe, ac ſi ſcriptum eſſet uph eautoon æſan tetagmenoi*, id eſt, *illi ſe ipſos ordinaverant in vitam æternam.*

Hunc in modum videris & tu dogma de juſtificatione intelligere, vz. Deum nos ita juſtificare, ut tamen & nos ipſi nos juſtificemus: atque ita Deum & hominem concurrere ad juſtificationem efficiendam. Atque hoc *apoteleſma* juſtificationem dico a duabus cauſis proficiſci, Deo, vz. & homine. Propter dignitatem tamen & præeminentiam id ſoli Deo tribui debere: licet non a ſolo Deo, ſed a Deo & homine ſimul proficiſcatur.

Iam quod attinet ad illud: *fides tua te ſervavit*; hoc dicto Chriſtus non voluit docere fidem proprie ſic dictam eſſe cauſam viſus reſtituti. Nam ſi eius cauſa eſt, tum eſt vel cauſa efficiens, vel materia, vel forma, vel finis. Efficiens certè cauſa non eſt viſus reſtituti. Nam hujus efficiens cauſa eſt ſolus & unicus Chriſtus. Neque cœcus venit aut venire potuit in ſocietatem hujus actionis. Neque in tota hac actione ſe aliter habuit, quam merè paſsivè. Sed neque materia, neque forma, neque finis viſus reſtituti eſt fides. Neque exiſtimo te adeo tui oblitum eſſe, ut dicere ſuſtineas; fidem propriè ſic dictam eſſe aut materiam, aut formam, aut finem viſus reſtituti. Quid igitur? An prorſus inter cauſas reſtituti viſus cenſeri non debet? Non hoc volumus. Quis igitur eſt verus ſenſus horum verborum: *fides tua te ſervavit?* Verus horum verborum ſenſus eſt; fidem per metonymiam poni pro illo, in quem credebat, videlicet Ieſu Chriſto: atque hunc eſſe illum, qui coecum ſanavit, eique viſum reſtituit. De cæteris locis eſt idem judicium. Hic enim idem Chriſtus liberavit Syrophæniſſam a ſanguinis fluxu, & Samaritanum a Lepra.

Verum ut fides non eſt cauſa efficiens ſanitatis reſtitutæ, neque eſt eius materia, neque forma, neque finis: ita fides propriè ſic dicta non eſt vera cauſa efficiens, neque materia, neque forma, neque finis

finis juſtitiæ illius per quam coram Deo juſtificamur. Et ut coecus non venit in ſocietatem iſtius actionis, quâ ipſi viſus reſtitutus eſt: ita peccator non venit in ſocietatem eius actionis, quâ coram Deo juſtificatur. Sed tota hæc actio, ut etiam illa, eſt Ieſu Chriſti propria. Deinde ut coecus nihil fecit, quò viſum reciperet, ſed habet ſeſe in illa actione merè paſsiuè: ita peccator nihil facit ad juſtificationem ſui, ſed habet ſe in tota actione merè paſsivè. Niſi hoc ita eſſe mecum fatearis, fatendum tibi erit peccatorem etiam aliqua ex parte juſtificare ſe ipſum, & Chriſtum non eſſe *energeia*, ſed *dunamei* tantum juſtificatorem noſtrum, hoc eſt, Chriſtum non juſtificare nos actu & re ipſa ſuo ſanguine, ſed ſua morte nobis peperiſſe hanc vim & efficaciam, ut in ipſum credere, & hac noſtra fide noſmetipſos juſtificare poſſimus. Expende benevole Lector ipſius argumenta, & judica, an non ſummo jure judicare poſſis, hanc eſſe illorum ſententiam. Sed hoc totum ex *bdelugmaſi* Socini eſt Oſtorodi extructum eſt. Verba Oſtorodi hæc ſunt in diſputatione contra Georgium Tradelij, fol. 250. **Ob ich aber wel vnſere gherechticheyt den verdienſte Chriſti abſchlaghe/ nach dem mahlle ich ſulch ein verdienſt nicht bekennen/ noch erkennen: So ſchlaghe ich doch ſeinen bluedt/ vnde todt nicht abe/ ſondern ſcribe ſie ihnen zu/ ſo fern daſſelbighe Bludt vnd todt die ſelbighe dinghen in vns wircket/ vmb welcher willen vns Gott rechtferdighen wil/ nemblich den Glauben.** id eſt, *Etſi noſtri iuſtificationem merito Chriſti detraho, (quoniam tale meritum neque agnoſco, neque cognoſco) tamen non detraho ſanguini & morti Chriſti: ſed tribuo illam ſanguini & morti Chriſti, quatenus ſanguis & mors Chriſti efficiunt in nobis eas res, propter quas Deus nos iuſtificat, nempe fidem.*

Bertius.

Vrges amplius, & ſi iſta evulgentur, inquis, atque dimanent, metuendum eſt, ne plerique ut apud Pontificios merita operum, ſic apud nos fidē jactent. Vtinam verò id ne nunc quidem fieret. Et tamen in ſuperioribus abundè oſtenſum eſt, non eſſe, quod ob juſtificationem fidei quiſquam in ſe glorietur, cum juſtificatio ſit actio gratuita clementis Dei.

Lubbertus.

Paſſim audimus viros doctos dicere auctores huius opinionis Papiſmum non ſatis exuiſſe. Quin diſertè dicunt, juſtificationem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

ob fidem propriè ſic dictam, hoc eſt, ob opus noſtrum eſſe ex reliquijs monachalis *Pharaſaiſmi*. Hoc certum eſt, Socinum & ante eum Servetum hoc a Papiſtis mutuatum eſſe. Verum ne apud illos, qui a Papiſtis juſta de cauſa ſeceſſionem fecerunt, ſuſpecti eſſent, mutaverunt aliquid in communi papali ſententia. Quod ut conſtet, paucis explicabo.

Papiſtæ dicunt nos ob fidem propriè ſic dictam, hoc eſt, ob opus noſtrum juſtificari. Hoc Servetus, Socinus, & qui illos ſequuntur etiam dicunt. Hactenus inter illos eſt conſenſus. Sed hoc Papiſtæ tantum intelligunt de prima juſtificatione: & ob eam cauſam dicunt fidem eſſe initum noſtræ juſtificationis: & fide *inchoari* juſtificationem noſtri, eamque charitate conſummari. Hoc rejiciunt Servetus, Socinus, & qui illos ſequuntur, & dicunt fidem eſſe perfectam legis impletionem, & ob eam cauſam, illos, qui fidem habent, habere perfectam juſtitiam, & ob hanc unicam fidem juſtos cenſeri apud Deum. Non nego auctorem huius ſcripti, nobiſcum & cum Papiſtis ſentire Chriſtum pro nobis ſatisfeciſſe: ſed quod dolendum eſt, dum hanc juſtificationem per fidem propriè ſic dictam probat, talia adhibet argumenta, per quæ meritum, & ſatisfactio Chriſti prorſus evertitur, ut ſupra oſtenſum eſt.

Qui hæc diligenter expendunt, vident facillimum tranſitum eſſe ab hoc novo Samoſateniſmo ad Papiſmum. Quod dicit non eſſe, ut quis ob fidei juſtificationem glorietur, poteſt duobus modis accipi, videlicet, ut fides accipiatur propriè pro qualitate inhærente, & accipiatur impropriè pro Chriſti juſtitia per fidem apprehenſa. Hoc modo nemo poteſt gloriari ob juſtificationem fidei. Nam qui in hunc modum per fidem juſtificatur, ille juſtificatur ob obedientiam Chriſti ſibi imputatam. Illo autem modo poteſt gloriari, quicunque per fidem juſtificatur. Veriſſimum enim eſt quod Apoſtolus ſcribit Rom. 4. 2. *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet quod glorietur.* Ergo qui ex aliquo ſuo opere juſtificatur, ille habet quod glorietur. Sed qui ex fide propriè ſic dicta juſtificatur, ille juſtificatur ex ſuo opere. Poteſt igitur ſummo jure gloriari. Cauſa huius rei eſt, quod qui ex ſuo opere juſtificatur, ille juſtificat ſe ipſum: vel quod idem eſt, juſtificatur a ſe ipſo, quod & ille, ad quem hæc ſcribimus, ſupra aliquo modo faſſus eſt. Poſt hæc ſcribit juſtificationem eſſe gratuitam actionem Dei. Sed ſi eſt Dei actio, tum omnia illa, quibus ſupra oſtendere voluit, hominem etiam modo quopiam

quopiam ſe ipſum juſtificare, falſa ſunt. Ergo addo, juſtificationem eſſe ſolius Dei actionem, & ob eam cauſam, ſolum Deum eſſe juſtificatorem noſtrum, hominem verò nulla ex parte eſſe ſui ipſius juſtificatorem.

Bertius.

Sed pone eſſe qui id faciant, ut ad lenocinium ſui plerique mortales proni ſunt: tunc verò id nobis faciendum erit, quod in eadem cauſa ſuo tempore fecit Iacobus: & ut ille non propterea negavit doctrinam iſtam, ſed fidem voluit per opera charitatis confirmari & declarari, ita & nos.

Lubbertus.

Iacobus nuſquam docuit fidem propriè ſic dictam haberi a Deo pro perfecta legis impletione: neque unquam docuit fidem propriè ſic dictam eſſe illam juſtitiam, quâ nos coram Deo juſtificamur. Deinde quod Iacobus requirit ut fidem bonis operibus confirmemus, & probemus; ita nos urgemus, ut credentes in Ieſum Chriſtum fidem ſuam ex operibus oſtendant. Non enim poteſt ſanctificatio a juſtificatione ſeparari: neque pro juſtificatis haberi debent, qui ſtudium bonorum operum negligunt, & flagitioſè vivunt. Sed hoc non eſt ijs neceſſe, quibus fides eſt perfecta legis impletio. Quid enim amplius ab illo requires, qui habet plenam & perfectam legis impletionem? Atqui tu dicis, fidem haberi a Deo pro perfecta legis impletione. Sed ſi a Deo eo loco habetur fides tua, certè tu ipſe illam etiam eo loco habere debes. Habet igitur perfectam legis impletionem, quicunque fidem habet: ac proinde non tenetur ulla alia opera præterea præſtare. Nemo enim tenetur ultra plenam & perfectam legis impletionem. Etiamſi igitur flagitioſè vivat, tamen ſi fidem habet, ſecundum tuam opinionem, perfectè juſtus eſſe poteſt.

Bertius.

Poſtremum ipſa nos experientia quotidie docet (ſi verum fateri volumus) periculum potius eccleſijs noſtris a profanitate & ſecuritate imminere, cum extra hominem omnia ponimus in Chriſto, quam cum officium quoque hominum ab homnibus exigimus.

Lubbertus.

At verò qui credunt in Ieſum Chriſtum, illi minimè negligunt officium ſuum: ſed quotidie agunt Chriſto gratias pro beneficijs

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

acceptis, & ſe totos ad eius obſequium componunt. Illi verò maximè negligunt officium ſuum, qui ſibi novum juſtificationis modum fingunt. Revera enim filium Dei ſuo honore ſpoliant: & ſibi ſaltem ex parte tribuunt, quod eſt Ieſu Chriſti proprium. Nam cum tota noſtra ſalus, quanta quanta eſt, Ieſu Chriſto uni & ſoli accepta ferri debeat: manifeſtum eſt filio Dei detrahi, quicquid homo ſibi de ſua ſalute tribuit.

Quod autē ſcribit de ſecuritate, quam ſcilicet quis ex noſtra ſententia conceptione ſibi conciliat, vetus & rancida calumnia eſt: multò ſpecioſius a Socino exaggerata, quam a te. Quod ad rem ipſam attinet; Hypocritæ poſſunt hoc facere, qui verè regenerati ſunt, hoc non faciunt. At licet aliquando impingant, aut ſegneſcant in ſtudio bonorum operum: tamen reſipiſcunt & ſeriam pœnitentiam agunt, & peccatorum, & ſocordiæ ſuæ, priuſquam ex hac vita eripiuntur.

Cæterum qui ſerio & re ipſa juſtificati ſunt, illi etiam re ipſa ſanctificantur: & qui tales ſunt, illi tribuunt unicuique quod ſuum eſt. Matth. 22. *Reddite Deo, quæ Dei ſunt, & Cæſari, quæ ſunt Cæſaris.* Iuxta hanc legem, totam juſtificationem noſtri Deo tribuimus. Meritum ſive juſtitiam, quâ juſtificamur Chriſto tribuimus. Pro hoc tanto beneficio perpetuam gratitudinem Deo debemus. Cum igitur confitemur Deum eſſe juſtificatorem noſtrum, & Chriſtum nobis peperiſſe juſtitiam, quâ coram Deo juſtificamur, & pro hoc ſummo beneficio illi ex toto corde gratias agimus, omnia ſe benè habent.

Hoc diſſimulare non poſſum, nos omnium hominum miſerrimos eſſe, niſi tota noſtra juſtitia extra nos in ſolo Chriſto poſita ſit. 2.Cor. 5.21. *Ut nos efficeremur juſtitia Dei in eo.* Auguſtinus Enchirido 41. Vt nos juſtitia non noſtra, ſed Dei, nec in nobis, ſed in ipſo: ſic ille peccatum non ſuum, ſed noſtrum: non in ſe, ſed in nobis.

Si putas hominem tum demum officium ſuum facere, cum ſe ipſum vel ex aliqua parte juſtificat; valdè erras. Tum enim, ut jam dictum eſt, ſe multis peccatis involuit, & ſibi ipſi, niſi reſipiſcat, ad interitum viam præmunit.

Bertius.

Supereſt ut illud etiam examinemus, quod quidam dicunt: Si fidem meam acceptam ratamque habet Deus pro univerſa legis impletione,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

pletione, ſequetur *juſtificationem* meam eſſe imperfectam, quia fides eſt imperfecta. Enimverò ita futurum agnoſco, ſi attemperata eſſet actioni noſtræ actio Dei, & *kat analogian tæs piſteoos amoon* nobiſcum ageret.

Lubbertus.

Ego hoc modo formaverim argumentum.

Si Deus nos juſtificat propter fidem noſtram, tum juſtificat nos propter illud, quod eſt imperfectum. Eſt enim fides quandiu in hoc mundo peregrinamur imperfecta. Addo Dei judicum eſſe verum, & congruere ſemper cum veritate. Hinc infero eum neque velle, neque poſſe nos propter fidem noſtram, quæ tam multis modis imperfecta eſt, pro perfecta legis impletione habere: eundemque neque velle, neque poſſe nos propter fidem noſtram, quæ tam multis vitijs laborat, nos juſtos pronuntiare. Quin dico, anxias conſcientias ſe huius rei meditatione conſolari non poſſe. Qui poteſt enim homo, ſub legis maledictione trepidans firmiter credere, ſe a Deo propter illam rem juſtum pronuntiari, quæ ipſa propter multos, quibus laborat defectibus, imperfecta eſt, & veniæ indiget?

Bertius.

Sed ille credenti in filium omnia denat, omnia condonat. Quis autem eſt *logos* fidei meæ *pros to apeiron*? Neque verò intelligo quomodo quis imperfectam poſſit vocare fidem illam, quæ Chriſtum, & promiſſionem in Chriſto apprehendit. Plura enim in Chriſto habet fides, quam ipſa habere ſe ſciat. Habet enim theſauros abſconditos ſapientiæ & gratiæ Dei, quos nulla mens capere, nulla lingua effari poteſt.

Lubbertus.

Omninò mihi perſuadeo te non intelligere quod ſcribus. Nam ſi fides nos ideo juſtificat, quod Chriſtum & promiſſiones in Chriſto apprehendit, tum non juſtificat nos per ſe, ſed inſtrumentaliter. Chriſtus enim eſt juſtitia noſtra: ut 1. Cor. 1. 30. *Qui factus eſt nobis juſtitia.* Hunc Chriſtum qui apprehendit, ille apprehendit juſtitiam: & quâ re hunc Chriſtum juſtitiam noſtram apprehendimus, illa re per metonymiam juſtificari dicimur. Apprehendimus autem Chriſtum fide. Fide igitur per metonymiam juſtificari dicimur. Hinc eſt quod Apoſtolus ſcribit, nos *corde credere ad juſtitiam*: ubi di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

ubi diſertè inter actum fidei, qui eſt credere, & inter juſtitiam diſtinguit. At verò ſi fides noſtra eſſet illa juſtitia, quâ coram Deo juſtificamur, tum rectè dicere poſſemus nos corde credere ad fidem. Niſi fatearis; explica nobis quomodo corde credamus ad juſtitiam, & non credamus ad fidem noſtram, & tamen fides noſtra ſit illa juſtitia, ad quam corde credimus? Sed ut unde digreſſi ſumus, revertamur: Dicis fidem nos juſtificare, quia Chriſtum & promiſſiones in Chriſto apprehendit. Apprehendendo igitur Chriſtum juſtificat nos, & per conſequens non fides, ſed eius objectum, Chriſtus, eſt noſtra juſtitia. Deinde non eodem modo, fides eſt noſtra juſtitia quo Chriſtus. Chriſtus nobis juſtitiam meritus eſt, eandemque nobis imputat. Hinc eſt quod Apoſtolus dicit: *nos unius obedientia juſtos conſtitui.* Rom. 5. 19. Hæc obedientia obtinet locum materiæ: eſt enim id ipſum, propter quod juſti ſimus. Sed fides non eſt illud, propter quod juſti ſumus apud Deum. Sed per illam nos hanc obedientiam accipimus: vel quod idem eſt, per illam nobis Chriſti juſtitia applicatur. Hinc eſt quod Scriptura juſtitiam a fide diſtinguit, & diſertè ſcribit hanc *juſtitiam eſſe per fidem*, ut ante oſtenſum eſt.

Bertius.

Deus igitur pro gratioſa gratia ſua, quâ nos in filio ſuo ante ſæcula dilexit, & quâ, *kat uperbolæn* excedit omnia vota & cogitationes noſtras; fidem quoque noſtram licet infirmam reputat in juſtitiam. Ipſe mentiri non poteſt. Rogemus illum, ut granum illud ſinapis, quod in cordibus noſtris ſevit ipſe, magis indies magniſque augeat, & corroboret: ut ne fluctuemus, neque infirmemur fide, neque diffidamus *dia krinomenoi*: ſed confirmemur, dantes gloriam Deo, certi, quod is qui promiſit, poſſit quoque perficere, quodque poſſit depoſitum noſtrum reſervare in illum diem.

Lubbertus,

Falſum eſt Deum reputare fidem noſtram in juſtitiam, hoc eſt, habere fidem noſtram pro perfecta legis impletione. Nos ante oſtendimus Deum eſſe juſtum, & judicium eius eſſe ſecundum veritatem. Verum qui juſtus eſt & judicat ſecundum veritatem, ille non habet fidem noſtram, quæ imperfecta eſt, & quæ etiam perfecta non eſt niſi minima legis pars, quæque multis peccatis contaminata eſt, pro perfecta legis impletione. Vtut ſit nuſquam ſcriptum eſt, Deum ex gratia habere fidem noſtram pro perfecta legis imple-

impletione; aut pro perfecta juſtitia, quâ coram Deo juſtificamur. Neque uſquam id legimus, quam apud Servetum, lib. 2. de lege & Evang. ut eſt apud Calvinum in explicatione errorum Michaelis Serveti pag. 903. *Secundum naturam rei, hoc non debebatur fidei Abrahæ, nec noſtra, ſed ex gratia id ibi factum eſt.* Et apud Socinum de Chriſto Servatore, fol. 335. *Cum fides noſtra nobis ad juſtitiam imputatur, ſenſus eſt, fidem noſtram pro juſtitia haberi.* Tu antè docuiſti, juſtificare eſſe universſale *pathos* fidei. Sed ſi hoc eſt verum, tum non eſt a gratuita Dei gratia, quod fides juſtificat. Sed fides hanc vim habet a natura, ut ante oſtenſum eſt. Vt ut ſit, nuſquam legimus in Scriptura, Deum juſtitiam imputare fidei: ſed ubique legimus Deum imputare *credenti* juſtitiam. Proinde Deus fidem non habet pro perfecta juſtitia: ſed credentem habet pro perfectè juſto. Et hoc non niſi propter aliquam juſtitiam, eamque perfectam. Quia enim Deus juſtus eſt, & eius judicium eſt ſecundum veritatem, fieri non poteſt, ut aliquem juſtificet, niſi ob perfectam juſtitiam. At verò hominem juſtificat. Iuſtificat igitur illum propter aliquam juſtitiam, eamque perfectam. Hæc juſtitia eſt Chriſti. Phil. 3. 9. *Vt inveniar in eo non habens meam juſtitiam, ſed illam, qua eſt Chriſti per fidem.* Hæc juſtitia nobis imputatur. Rom. 4. 6. *Beatus homo cui Deus imputat juſtitiam ſine operibus.* Propter hanc juſtitiam nos juſti pronunciamur, 2. Cor. 5. 21. *Vt nos efficeremur juſtitia Dei in eo.* Rom. 5. 19. *Vnius obedientia juſti conſtituentur multi.* Hæc juſtitia non eſt fides, ſed eſt objectum fidei. Rom. 4. 23. *Non ſcriptum eſt, propter eum ſolum, quod hoc imputatum ſit ei; ſed etiam propter nos, quibus futurum eſt ut imputetur, qui crediderimus in eum, qui excitavit Ieſum Dominum noſtrum a mortuis, traditum in mortem propter offenſas noſtras, & excitatum propter juſtificationem noſtri.*

Bertius.

Nunc illud reliquum eſt, ut de utriuſque ſententiæ conciliatione agamus. Agnoſco iſta: Obedientiam Chriſti dici & eſſe noſtram juſtitiam coram Deo: eius paſſionem & mortem eſſe plenam pro peccatis noſtris ſatisfactionem, ſanguinem *antilytron*, quo redemti ſumus, & ſi quæ præterea in hanc formam dici poſſunt.

Lubbertus.

Si obedientia Chriſti eſt noſtra juſtitia coram Deo, tum fides noſtra non eſt illa juſtitia, quâ coram Deo juſtificamur. Fides enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

noſtra non eſt obedientia Chriſti. Hanc enim præſtitit Chriſtus: illam præſtamus nos. Hæc eſt in Chriſto: illa eſt in nobis. Hæc eſt perfecta, & omnibus numeris abſoluta: illa imperfecta, & multis peccatis contaminata. Deinde ſi mors & paſsio Chriſti eſt plena ſatisfactio pro peccatis noſtris, tum mors & paſſio Chriſti habetur a Deo pro plena legis impletione. Plena enim ſatisfactio pro peccatis, eſt plena legis impletio. Denique ſi obedientia Chriſti eſt noſtra juſtitia, quâ coram Deo juſtificamur, tum juſtificare eſt univerſale *pathos* juſtitiæ ſive obedientiæ Chriſti. Ac proinde corruunt illa omnia, quibus aſſerere voluiſti juſtificare eſſe univerſale *pathos* fidei. Nam ſi obedientia Chriſti eſt illa juſtitia, quâ nos apud Deum juſtificamur, tum eſt ſimpliciter impoſsibile, juſtificare eſſe univerſale *pathos* fidei. Poſtremò hæc duo conciliari non poſſunt. Nam ſi obedientia Chriſti eſt illa juſtitia, quâ nos coram Deo juſtificamur, tum eſt vel perfecta juſtitia vel imperfecta. Si dicis eam eſſe imperfectam, es blaſphemus. Si dicis eſſe perfectam, & ſufficere ad nos coram Deo juſtificandos, tum reipſa oſtendis hanc alteram eſſe ſupervacuam.

Bertius.

Hæc autem non alia ratione, quam fide apprehendi, nobiſque applicari, quod etiam poſteriore *theſeos* membro complexus ſum, quæ ita habet. *Juſtificans etiam vocatur, quia hæc ſola juſtitiam Chriſti, quæ per imputationem noſtra eſt, apprehendit.* Sed priorem ſententiam non arbitror a poſteriore tantopere diſſentire, ut conciliari illa inter ſe non poſſint. Et quid ſi modus id præſtandi me nunc fugiat, forte alium aliquem non fugiet, forte alios non fugiet. Quod ſi verò in hac vita modum ego nunquam ſciam, egone is ſum, qui fidem Deo loquenti derogem, & Scripturis utrumque affirmantibus aſſenſum auſim denegare? Abſit. Major omninò apud me eſt reverentia & authoritas divinarum literarum. Abdam una caput in coecam admirationis nubem, & quod nunc non aſſequor, differam in ſcholam æternitatis.

Lubbertus.

Si juſtitiam Chriſti fide apprehendimus, tum fides nos non propriè juſtificat. Nam ut penicillus, qui eſt inſtrumentum applicandæ albedinis, non eſt ipſa albedo nec proprie dealbat parietem: ita fides, quæ eſt inſtrumentum applicandæ juſtitiæ, non eſt ipſa juſtitia, nec

tia, nec propriè juſtificat hominem. Sed ut albedo, quæ per penicillum applicatur parieti, propriè dealbat parietem: ita juſtitia Chriſti, quæ per fidem applicatur credenti, propriè juſtificat hominem.

Hac igitur tua aſſertione deſtruis, quod ante docuiſti, juſtificationem ſc. eſſe univerſale *pathos* fidei. Deinde ſi fidem juſtitiam Chriſti nobis applicat, tum non abſolutè, ut tu, neque per ſe, ut Socinus impiè aſſerit: ſed inſtrumentaliter tantum juſtificat nos. Vt autem nos juſtificat, ita etiam eſt juſtitita noſtra, & quia nos non propriè, neque abſolutè, neque per ſe juſtificat; manifeſtum eſt, fidem neque propriè, neque abſolutè, neque per ſe eſſe juſtitiam noſtram. Qui hoc intelligit, ille non ignorat fidem non propriè, ſed per metonymiam dici juſtitiam noſtram.

Ac proinde cum Scriptura dicit fidem nobis ad juſtitiam imputari, non intelligit ipſam fidem: ſed illud, quod metonymicè per fidem intelligitur, ſidelicet juſtitiam ſive obedientiam Chriſti nobis ad juſtitiam imputari.

Vt eſt vera reverentia, quam verbo Dei debemus, cum illud ſive intellectum ſive non intellectum credimus verum eſſe: ita non poſſumus Deum majore contumelia afficere, quam cum illi affingimus quod falſum eſt. Proinde æquè culpandi ſunt illi, qui vel verbo Dei falſum intellectum affingunt, vel aliquid ſcriptum eſſe mentiuntur, quod in Scriptura non reperitur: atque illi, qui ad cognitum Dei verbum adſenſum adjungere recuſant.

Nihil igitur eſt quod tantopere prædices tuum obſequendi Dei verbo ſtudium. Prius oſtende in Dei verbo ſcriptum eſſe, nos duabus juſtitijs toto genere diverſis, una ſc. perfecta, quæ Ieſu Chriſti eſt: altera imperfecta, quæ fides noſtra eſt, juſtificari: aut oſtende in Dei verbo ſcriptum eſſe, fidem haberi a Deo pro perfecta legis impletione: aut denique oſtende in illo ſcriptum eſſe, fidem noſtram propriè dictam eſſe illam juſtitiam, quâ coram Deo juſtificamur. Deinde proba nobis obſequium tuum in his vera fide recipiendis. Si nequis oſtendere illa in Dei verbo ſcripta eſſe, merito te quis ſacrilegij accuſaverit: ut qui Deo affingas, quod cum veritate pugnat, & Dei naturæ adverſatur. Vt igitur nobis probes veram reverentiam, quam verbo Dei præbes, oſtende nobis prius Dei verbum, aut ſummo jure dicere poterimus, te non Dei verbo, ſed tuis commentis, falſiſque opinionibus hanc reverentiam exhibere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Bertius.

Tentemus tamen: tu dicis fidem eſſe manum atque organum apprehendens juſtitiam Chriſti. Eſto.

Lubbertus.

Ergo non eſt ipſa juſtitia. Eſt enim ſimpliciter impoſſibile, ut una & eadem res, in una & eadem juſtificatione ſit organum apprehendens juſtitiam, & juſtitia organo apprehenſa ſimul, hoc eſt, ut una & eadem res, in una & eadem actione ſit inſtrumentum & inſtrumentatum ſimul. Omnes logici in eo conſentiunt, ut dicant, unã & eandem rem non poſſe relativum & correlativum ſimul eſſe. Proinde in hoc abſurdum neceſſe eſt te incidere, ut vel dicas unam & eandem rem eſſe inſtrumentum & inſtrumentatũ ſimul: vel Apoſtolum mentiri, cum dicit, *nos unius obedientia iuſtos conſtitui.* Nam ſi per fidem noſtram non relativè, aut inſtrumentaliter, ut nos dicimus, ſed propriè per ſe & abſolutè ſumtam, ut vos vultis, juſtificamur: tum falſum eſt nos per unius obedientiam juſtos conſtitui: aut dicendum eſt nos duabus juſtitijs, ijſque toto genere diverſis, una Chriſti, altera noſtra juſtificari.

Bertius.

Vt ergo manus, inquis, mendici non habet rationem cauſæ, cur ille diteſcat:· ita nec fides. Imò verò mendici manus cauſæ ſaltem inſtrumentariæ, & ſecundariæ locum habet, ut ante dictum eſt. Nam ſi vel non extendiſſet manum, vel ſubduxiſſet, manſiſſet Irus.

Lubbertus.

Vt mendici manus eſt inſtrumentalis cauſa opum acquirendarum, ita non negamus fidem noſtram eſſe inſtrumentalem cauſam noſtræ juſtificationis. Sed quid hoc ad rem? Nonne vides te latenter probare noſtram ſententiam? Equidem non debebas dicere manum eſſe inſtrumentalem cauſam acquirandarum divitiarum, ſed eſſe ipſas divitias acquiſitas: vel eſſe inſtrumentum acquirendarum divitiarum, & eſſe ipſas divitias acquiſitas ſimul, ſi velles ad rem dicere. Nam non eſt inter nos controverſia, an fides ſit inſtrumentum accipiendæ juſtitiæ? Nam hoc fatemur uterque. Sed vera controverſia eſt an fides propriè dicta, ſit ipſa juſtitia, quam Dei judicio opponere poſsimus? Vel denique an ſit inſtrumentum acquirendæ juſtitiæ, & ipſa juſtitia inſtrumento acquiſita ſimul.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Bertius.

Sed pone Regem mendico illi dicere, Cedo manum, exſere eam, & ego te ditabo. Enimverò tunc manus mendici pariter & inſtrumenti vicem habebit & conditionem præſtabit a Rege datam.

Lubbertus.

Quicquid dixeris, nunquam probabis, manum mendici eſſe ipſas opes, ſive divitias, quarum acquirendarum inſtrumentum eſt: atque ita non probabis in æternum, fidem eſſe ipſam juſtitiam, cuius acquirendæ inſtrumentum eſt.

Bertius.

Ita fides noſtra, cum paret Deo dicenti: Crede in filium, & habebis vitam æternam: præſtat conditionem poſitam: cum verò apprehendit filij juſtitiam, eſt organum.

Lubbertus.

Si exiſtimas nos juſtificari propter aliquam conditionem a nobis impletam: tum judicas me propter opus a me factum juſtificari. Conditio enim a me impleta, quocunque tandem modo accipiatur, eſt opus a me præſtitum. Sed ſcriptura diſertè negat nos ob opus aliquod a nobis præſtitum juſtificari. Titi 3. 5. *Non ex operibus iuſtis, quæ fecerimus nos, ſed ex ſua miſericordia ſervavit nos.* Rom. 4. 2. *Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet quod glorietur, at non apud Deum.* Et comm. 6. *Beatus homo cui Deus imputat iuſtitiam abſque operibus.* Adhæc Scriptura paſsim docet nos gratis juſtificari. Rom. 3. 24. *Iuſtificamur gratis, id eſt, eius gratia per redemtionem factam in Chriſto Ieſu.* Sed juſtificatio per gratiam, & juſtificatio per opera noſtra ſunt oppoſita, & ſimul conſiſtere non poſſunt. Rom. 11. 6. *Quod ſi per gratiam, non jam ex operibus, alioqui gratia iam non eſt gratia. Sin ex operibus, iam non ex gratia, alioquin opus iam non eſt opus.* Hanc gratuitam igitur juſtificationem negat, quicunque nos per opus noſtrum, quocunque tandem nomine vocetur: aut per conditionem a nobis præſtitam, vel adhuc præſtandam, juſtificari contendunt. An igitur tò credere non intelligitur opus noſtrum, aut conditio a nobis præſtita, cum credendo juſtificari dicimur? Non. Propriè enim non juſtificamur credendo, ſed inſtrumentaliter tantum, dum videlicet fide veluti inſtrumento juſtitiam Chriſti accipimus. Errat igitur qui dicit nos propter cōditionem a nobis præſtitam juſtificari. Non nego fidem noſtram eſſe obedientiam, quam Deo

præſtamus: ſed non juſtificamur per illam quatenus obedientia eſt. Nam ut jam ſæpe dictum eſt, propriè juſtificamur per obedientiam Chriſti: & quia hanc fide accipimus, dicimur fide juſtificari: non propriè, ſed inſtrumentaliter. Per metonymiam enim tribuitur fidei, quod eſt juſtitiæ Chriſti proprium.

Bertius.

Deus autem juſtificans nos, ſpectat fidem, non tantum ut organum apprehendens juſtitiam Chriſti: ſed etiam ut obedientiam quæ a nobis Evangelio præſtatur. Hoc ergo modo puto conciliari iſta poſſe, ut quæ adverſis frontibus pugnare videbantur, ſimul conſiſtant & placidè conſpirent.

Lubbertus.

Si exiſtimas Deum nos propter obedientiam noſtram, quam credendo præſtamus ipſi, juſtos pronunciare in ſuo judicio, relaberis in caſtra Socini. Nam hoc ille magno, ſed irrito conatu probare ſatagit. Vt ut ſit, petis illud, quod eſt in principio. Nemo enim id tibi dabit, neque tu hoc unquam ex ſcriptura probabis. Quin audi aliud. Obedientia eſt genus fidei. Etſi enim eſt genus remotum, eſt tamen eius genus. Iuſtificatio igitur non aliter poteſt noſtræ obedientiæ tribui, quam fidei noſtræ tribuitur. Perinde enim eſt ac ſi dicas. Subſtantia viva eſt diſciplinæ capax. Subſtantia enim viva eſt genus hominis: remotum quidem genus, ſed tamen genus. Vt igitur quis dicere poteſt ſubſtantiam vivam eſſe diſciplinæ caparem: ita etiam fortaſſe dicere poſſumus: hominem obedientia ſua juſtificari. Nam ut homo, qui eſt diſciplinæ capax, eſt ſubſtantia viva, ita fides noſtra, quâ juſtificamur, eſt obedientia, quam Deo præſtamus. Verum ut diſciplinæ capacem eſſe, non convenit omni ſubſtantiæ vivæ, ſed tantum rationali, quæ eſt homo: ita juſtificari non fit per omnem obedientiam, ſed per eam tantum, quâ juſtitiam Chriſti apprehendimus; quæ eſt fides. Quemadmodum igitur fidei per metonymiam: ita etiam eius generi, nempe obedientiæ per eandem metonymiam juſtificatio tribui poteſt. Ac proinde vides te *akurologein*, & omnibus hiſce ambagibus eo recidere, ut dicendum tibi ſit, fidem recipientem juſtitiam, eſſe organum recipiens juſtitiam, & juſtitiam organo receptam ſimul: aut falſum eſſe, quod Apoſtolus dicit, nos per unius obedientiam juſtos conſtitui.

Sed vide & aliam abſurditatem. Apoſtolus dicit nos per unius

Chriſti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Chriſti obedientiam juſtos conſtitui. Tu dicis, te per tuam obedientiam juſtum conſtitui. Expende hoc diligenter: quod ſi facies, intelliges fortaſſe te eſſe ex illorum numero, qui ex operibus juſtitiam ſectantur. Rom. 9.32. Deinde tota hæc *akurologia* fuit Apoſtolo incognita. Dicit enim Rom. 4.6. *Beatum eſſe illum hominem, cui Deus imputat juſtitiam abſque operibus.* Verum ſi Paulus per ſuam obedientiam juſtificatus fuiſſet, non rectè dixiſſet *abſque operibus.* Nam quod per meam obedientiam conſequor, illud non conſequor abſque meis operibus. Idem dicit Phil. 3.9. *Vt inveniar in eo non habens meam juſtitiam.* Sed obedientia mea eſt utique mea, vel quod idem eſt, obedientia illa, quam ego Deo ſecundum legem præſto, eſt mea juſtitia, ſive ſit perfecta, ſive imperfecta, non refert, quatenus illa obedientia eſt juſtitia, eſt mea juſtitia. Quomodo igitur dicere potes te per tuam obedientiam juſtum conſtitui? Num es Apoſtolo juſtior? Aut putas Apoſtolum tam fuiſſe ingratum & immemorem beneficiorum Dei, ut noluerit inveniri in ſua illa obedientia, quæ a Deo pro perfecta legis impletione habeatur?

Bertius.

Exploremus & aliam viam, ut quorum fidem pro tota legis impletione acceptam tulit Deus, illis poſtea imputet juſtitiam filij ſui.

Lubbertus,

Iam me tui miſeret. Si enim Deus nobis fidem noſtram pro tota legis impletione acceptam tulit, & deinde juſtitiam Chriſti nobis imputat, tum ijs, qui perfectè juſti ſunt, imputat juſtitiam Chriſti, hoc eſt, eos, qui propter fidem ſuam perfectè juſti ſunt, juſtificat per Chriſtum. Quæſo te juſtificatne Chriſtus illos, qui perfectè juſti ſunt? Atqui perfectè juſtis non opus eſt Chriſti juſtitia. Nam ut inquit Chriſtus Lucæ 5.31. *Non opus eſt ijs, qui ſani ſunt, medico.* Vides, opinor, quantam januam aperias Socino. Ille poſuit hoc fundamentum: Deus nobis fidem noſtram pro perfecta legis juſtitia acceptam tulit. Atque inde infert: nobis non imputari juſtitiam Chriſti. Et rectè. Nam ſi illud antecedens verum eſt, tum hoc conſequens verum eſſe neceſſe eſt. His adde, quæ ego paulò ante contra tuum univerſale *pathos* diſputavi, & fateberis ipſe ex tua doctrina ſequi, Chriſti juſtitiam eſſe ſupervacuam, & eſſe inane commentum, & proinde hac ipſa neminem juſtificari, aut juſtificari poſſe. Quid igitur? Chriſtus non juſtificat illos, qui perfectè juſti ſunt; ſed juſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

ſed juſtificat miſeros peccatores, qui in ſe impij ſunt & mortui in peccatis ſuis, antequam a Chriſto juſtificantur. Clamat hoc tota Scriptura. Matth. 9. 15. *Non veni, ut vocarem juſtos, ſed peccatores ad reſipiſcentiam.* Lucæ 15. 2. *Iſte peccatores recipit.* Matth. 1. 21. *Servabit populum ſuum a peccatis ipſius.* 1. Timoth. 1. 15. *Chriſtus venit in mundum ut peccatores ſervaret.* Rom. 4. 5. *Qui iuſtificat impium.* Epheſ. 2. 1. *Vos una vivificavit, cum eſſetis mortui in peccatis veſtris.* Si ſumus impij & mortui in peccatis noſtris, cum primum juſtificamur: ſequitur falſum eſſe, nos per, ſive propter fidem noſtram perfectè juſtos factos eſſe, antequam a Chriſto juſtificamur. Nam qui perfectè juſtus eſt, ille nō eſt impius, neque mortuus in peccatis ſuis.

Bertius.

Atque hoc modo juſtificatio ratione fidei, erit actus gratioſus clementiæ Dei: reſpectu verò obedientiæ a Chriſto præſtitæ, erit actus juſtitiæ ob meritum illius.

Lubbertus.

Non intelligis quod ſcribis. Ante docuiſti, juſtificationem eſſe actum fidei noſtræ. Nunc dicis eam eſſe actum clementiæ Dei, eandemque reſpectu obedientiæ Chriſti, eſſe actum juſtitiæ ſc. Chriſti. Quæſo te quomodo hæc cohærent? Si juſtificatio reſpectu fidei, eſt actus clementiæ Dei, tum non eſt actus fidei. Aut enim reſpectu fidei, eſt actus fidei, aut nullo modo eſt actus fidei. Sed reſpectu fidei eſt (ut tu dicis) actus clementiæ Dei, hoc eſt, reſpectu fidei, non eſt actus fidei. Verum ſi non eſt actus fidei, tum eò relaberis, ut dicere cogaris inſtrumentum & inſtrumentatum habere unum & eundem actum. Et quod abſurdius eſt, hunc actum eſſe ūniverſale *pathos* fidei, hoc eſt, eſſe totum in fide, & extra fidem non reperiri, & tamen eſſe utrique, hoc eſt, fidei & juſtitiæ communem, hoc eſt, eſſe in fide, & extra fidem. Iam me doce an juſtificatio, quia eſt actus fidei, non ſit etiam univerſale *pathos* juſtitiæ Chriſti. Hoc tibi aut negandum, aut affirmandum eſt. Si negas, oſtendis te prorſus *Sokinizein*, & verum eſſe, quod ego antea docui, juſtitiam ſive meritum Chriſti eſſe vobis inane commentum. Vtut ſit, hoc mihi libenter dabis, niſi a te ipſo diſsidebis, per ſe non convenire juſtitiæ Chriſti, ut nos juſtificet: Sed fortaſſe per accidens hoc illi accidere. Si affirmas, tum conſule organum Ariſtotelis, & ex eo me doce, unum & idem univerſale *pathos* convenire duobus ſubjectis, iiſque toto genere diverſis, & a ſe invicem ſejunctis, atque natura ſua ſeparatis,

ratis, & eſſe tamen hoc ipſum non unius ſolum, ſed utriuſque ſubjectum univerſale *pathos*. Nam quæ eſt mea tarditas, ego hoc neque capio, neque capere poſſum.

Bertius.

Dicis non eſſe opus gemino iſto actu. Nam ſi priore fides pro plena juſtitia habetur, quid eſt neceſſe, cuiquam juſtitiam Chriſti imputari.

Lubbertus.

Rectè putas. Nam ſi per fidem tanquam per perfectam juſtitiam, eamque noſtram & nobis inhærentem ſumus juſtificati, tum non eſt opus ut aliena juſtitia juſtificemur. Hoc argumentum tam eſt firmum, ut a te nulla ratione refutari poſsit.

Bertius.

Ego verò malo fateri Deum id in juſtificatione facere, quod mihi opus factu non videtur, quam negare id fieri ab ipſo, quod Scriptura apertiſsimè teſtatur.

Lubbertus.

Scriptura non dicit Deum habere fidem noſtram pro perfecta legis impletione: neque docet, fidem noſtram eſſe illam juſtitiam, quâ coram Deo juſtificamur: neque docet, nos duabus juſtitijs, ijſque diverſis, & in diverſis ſubjectis inhærentibus juſtificari: neque docet, nos tum demum per juſtitiam Chriſti juſtificari, cum jam ante per fidem, tanquam per perfectam juſtitiam, eamque noſtram, & nobis inhærentem perfectè juſtificati ſumus: neque docet, juſtificare eſſe univerſale *pathos* fidei. Hæc omnia ſunt tua commenta, extra & contra Scripturam excogitata. Fruſtrà igitur nobis reverentiam, quam ſc. Scripturæ exhibere paratus es, oſtentas. Ego ante oſtendi, tam grande ſacrilegium eſſe, aliquid, quod falſum eſt, affingere Deo, quam illud, quod verum eſt, & in Scriptura ſcriptum eſt, negare.

Concedimus in Scriptura ſcriptum eſſe, nos fide juſtificari, & fidem imputari credenti ad juſtitiam: & hoc ipſum nos grato animo concedimus verum eſſe, ſed in vero ſenſu. Nam ut ante dixi, non tantum videndum eſt quid Scriptura dicat, ſed etiam quo ſenſu dicat. Nam ſi ego dixero Deum eſſe corpus & ſpiritum ſimul, & tu hoc negaveris, multiſque rationibus decueris falſum eſſe: ego tamen partinaciter contendero Scripturam dicere, *Deum eſſe ſpiri-*

tum, Ioan. 4. 24. Et ſimul protulero ea loca, quibus Scriptura Deo, *os*, *humeros*, *brachia*, *oculos*, *aures*, *nares*, *atque* ſimilia attribuit, atque inde intulero (etſi capere non poſsim) quomodo utrumque verum ſit, malo tamen cum Scriptura dicere, Deum eſſe corpus & ſpiritum ſimul, quam rationibus cedere, & vobiſcum dicere Deum eſſe ſpiritum tantum. Si (inquam) hoc modo tecum egero, nonne ſummo jure diceres, mihi helleboro opus eſſe?

Ego igitur fateor Scripturam dicere, Fidem imputari credenti ad juſtitiam. Sed quia eadem Scriptura dicit nos juſtos conſtitui per obedientiam Chriſti, & Apoſtolum deſiderare, non ut reperiatur habere ſuam juſtitiam, ſed juſtitiam, quæ eſt per fidem Chriſti.

Deinde quia eadem Scriptura docet nos non juſtificari per opera. Denique quia docet nos juſtificari gratis, eamque juſtificationem, quæ fit gratis, ex diametro opponit illi, quæ fit per opera. Quilibet videt non fidem noſtram, ſed obedientiam Chriſti eſſe illam juſtitiam, quâ coram Deo juſtificamur. Hanc verò, quia fide recipimus, fieri, ut hæc nobis imputari dicatur: idque relativè, dum ſc. non ipſa fides, ſed eius correlativum, nempe obedientia Chriſti nobis imputatur: eodem modo fieri, ut fide juſtificari dicamur, idque per motonymiam, qua ſc. inſtrumento tribuimus, quod eſt juſtitiæ Chriſti.

Bertius.

Sed tamen ajo utro actu opus eſſe.

Lubbertus.

Hac aſſertione nihil eſt abſurdius. Qui enim apud Deum perfectè juſtus eſt, illi non opus eſt ut aliunde juſtificetur; vel quod idem eſt, illi non opus eſt alienę juſtitiæ imputatione. Veriſsima enim eſt regula, quam ante poſui. *Sanis non opus eſt medico.*

Bertius.

Priore, ut, quia legem non implevimus, fides noſtra in legis juſtitiam ſuccedat.

Lubbertus.

Iam ante oſtendimus hoc falſum eſſe. Deinde hoc ipſum confirmat argumentum ante poſitum. Nam ſi fides in legis juſtitiam ſuccedit, & a Deo pro perfecta juſtitia habetur, tum omnis credens perfectè juſtus eſt, idque propter propriam, eamque ſibi inhærentem juſtitiam, & ob eam cauſam alienæ juſtitiæ non indiget. Nam qui per-

qui perfectè juſtus eſt, is non indiget alienæ juſtitiæ, ut ſc. per eam juſtificetur.

Bertius.

Poſteriore, ut, quia fides iſta non eſt reipſa plana, perfectaque juſtitia, Chriſti juſtitia realis in divini judicij ſeveritatem conſiſtat.

Lubbertus.

Atqui ante dixiſti fidem haberi a Deo pro perfecta & plena legis impletione, hoc eſt, pro perfecta & plena juſtitia. Num tibi non eſt reipſa plena, perfectaque juſtitia, quam Deus pro plena perfectaque juſtitia habet? Aut igitur erras cum dicis, fidem non eſſe plenam aut perfectam juſtitiam: aut erras cum dicis, Deum illam habere pro plena & perfecta juſtitia: aut tibi dicendum erit Dei judicium non eſſe ſecundum veritatem, & habere illam juſtitiam pro plena & perfecta, quæ reipſa & tibi talis non eſt. Deinde ſi fides noſtra in ſevero Dei judicio conſiſtere nequit, ſola autem juſtitia Chriſti in eodem conſiſtere poteſt: tum non fides noſtra, ſed Chriſti juſtitia, eſt illa juſtitia, quæ nobis imputata conſcientias noſtras, ſeverum Dei judicium paventes, tranquillare poteſt.

Bertius.

Habes duos conciliandi modos, quorum poſterior magis mihi placet.

Lubbertus.

Vtrumque modum diligenter expendi, & niſi me omnia fallunt, ſufficienter oſtendi tantum eſſe unum modum juſtificandi peccatorem, nempe illum, qui eſt per obedientiam Chriſti nobis imputatam. Alterum verò, qui eſt per imputatam nobis noſtram fidem propriè intellectam, eſſe ex furoribus Serveti atque Socini extructum, ac proinde ab omnibus orthodoxis theologis reijciendam & repellendam.

Bertius.

Committantur nunc partes illæ inter ſe, quæ tantopere videbantur diſſentire. Prior hoc habet. Si credideris in filium, fidem tuam Deus habebit pro omni legis juſtitia.

Lubbertus.

Hoc ſcriptum eſt in Socino de Chriſto ſervatore fol. 335. *Cum fides noſtra nobis ad juſtitiam imputatur, ſenſus eſt, fidem noſtram pro juſtitia ha-*

 tia ha-

tia haberi. In Dei verbo ſcriptum non eſt, & quia tu hoc aſſeris ſcriptum eſſe, tibí incumbit probatio. Lege igitur nobis in divivis ſcripturis: fidem noſtram haberi a Deo pro perfecta legis impletione, vel pro omni legis juſtitia. Si hoc nobis in illis legere non potes, non debes ægrè ferre quod hanc Socinianam blaſphemiam improbamus. Quin hoc audi. Non ſunt idem hæc duo:

Fides tua habetur a Deo pro perfecta legis iuſtitia.
Fides tua imputatur tibi a Deo ad iuſtitiam.

Illa enim poteſt in hanc reſolui: fides tua eſt perfecta legis juſtitia. Hoc ſenſu ſubjectum accipitur propriè, ita ut juſtitia regulariter & neceſſario prædicetur de fide. Hæc verò non poteſt reſolui in illam: Fides tua eſt juſtitia tua, ita ut ſubjectum propriè accipiatur, & juſtitia neceſſariò & regulariter prædicetur de fide. Qui igitur? Fides in poſteriore accipitur impropriè pro eo, quod fide apprehenditur. Hæc igitur poſterior prædicatio non eſt regularis, ſed irregularis.

Bertius.

Poſterior iſtud. Si credideris in filium, juſtitia eius tibi imputabitur.

Lubbertus.

Habes confirmationem eius, quod dixi. Quía enim juſtitia Chriſti nobis imputatur, rectè dicimur juſti conſtitui per obedientiam Chriſti. Quia autem huius juſtitiæ recipiendæ inſtrumentum eſt fides, etiam hęc ad juſtitiam imputari dicitur. Non igitur propriè & per ſe fides eſt juſtitia noſtra. Hac enim juſti conſtituimur apud Deum. Huius verò recipiendæ inſtrumentum eſt fides: inſtrumentum quidem efficax, ſed tamen inſtrumentum. Quia autem eſt illius recipiendæ inſtrumentum, impoſsibile eſt eam eſſe huius juſtitiæ recipiendæ inſtrumentum, & juſtitiam hoc inſtrumento receptam ſimul. Porro quemadmodum fides nobis imputatur ad juſtitiam, ita etiam eſt juſtitia noſtra. Et quoniam non propriè, ſed impropriè ponitur pro juſtitia Chriſti, cum nobis imputari dicitur, manifeſtum eſt, illam non propriè ſed impropriè pro juſtitia Chriſti poni, cum fides dicitur juſtitia noſtra eſſe.

Bertius.

Theſis mea utrumque complexa eſt. Si credideris in filium, Deus

non tantum fidem tuam habebit pro omni juſtitia legis, ſed etiam Chriſti inſuper juſtitiam tibi imputabit. Quæ ego duo ſimul poſſe conſiſtere arbitror a me oſtenſum eſſe.

Lubbertus.

Hæc complexio quam ſit abſurda & (patere ut veritatem dicam) impia, ex illis, quæ ad tuam epiſtolam annotaui, intelligere potes.

Bertius.

Tu cui plura & majora largitus eſt Deus, vel certius aliquid extundes, vel iſta mecum probabis.

Lubbertus.

Serio & ex animo ſcribo, me te diligere in Domino. Per hunc ipſum (qui & meus & tuus Dominus eſt) precor te & obteſtor mi frater, ut quæ ad tuam epiſtolam reſpondi, ſerio & in timore Dei ad normam ſacrarum Scripturarum examinare velis: quod ſi facies, ſpero te errore cognito, veritatem agniturum eſſe.

Bertius.

Hæc ego ad te vir præſtantiſſimè ſcripſi familiariter. Rogo primum ut æqui bonique *Parræſian* meam conſulas; poſtea ut hæc apud te habeas, neque ad alios patiaris niſi de communi ſententia emanare.

Lubbertus.

Ego hanc tuam, vir præſtantiſſime, *Parræſian* non tantum in bonam partem accipio; ſed te etiam propter illam diligo, imò amo. Vt autem ego *Parræſian* tuam in optimam partem accepi, ita peto ut tu idem facias. Nam hoc æquum eſt. Quam enim legem alijs ferimus, eandem ipſi obſervare debemus. Quod ad alterum attinet, habebo literas tuas apud me, neque patiar illas ad alios emanare niſi de communi ſententia.

Bertius.

Cauſas, quæ tua eſt prudentia, ipſe vides. Nimirum inter nos ſuſpicionibus peccatur: diffluimus antequam ſerio coiuerimus.

Lubbertus.

Non nego nonnunquam ſuſpicionibus peccari. Ego de te nihil unquam ſuſpicatus ſum: ſemper enim judicavi te de chriſtianæ fidei capitibus rectè ſentire. Qui potui enim credere, clariſſimum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

& Orthodoxias amantiſſimum virum Ioannem Kuchlinum tibi voluiſſe ſuam filiam nuptum dare, ſi ſciviſſet, te damnatas Serverti & Socini hæreſes in eccleſiam, ſcholaſque introducere voluiſſe. Aut qui potui iudicare Illuſtriſſimos Hollandiæ Ordines voluiſſe te iſti collegio præficere, ſi tale quid de te ſuſpicati fuiſſent? Non enim eſt credibile illos Heroas, qui tam multa pertulerunt, & fecerunt ut papiſticos errores a ſe profligarent, velle abominabilem & execrabilem Serveti atque Socini hæreſin (quæ papiſticis erroribus deterior eſt) in eccleſiam per te introducere. Quod verò ad Harminium attimet: iſti rumores, qui de illo paſſim ſparſi ſunt, nituntur firmioribus fundamentis. Sunt in manibus noſtris ipſius Theſes, Epiſtolæ, & diſcipulorum ipſius teſtimonia, quibus ſufficienter oſtendere poſſumus, illum docere, *nos per fidei actum, hoc eſt, per tò credere, non metonymicè, ſed proprio ſenſu intellectum juſtificari: Et, juſtitiam ſive obedientiam Chriſti, nobis non imputari, neque imputari poſſe*. Iudica ipſe an hoc non ſit id ipſum quod Servetus & Socinus blaſphemo ore in orbem chriſtianum effuderunt. Si hæc ſerio expendes, tacebis, ſat ſcio, de ſuſpicionibus.

Bertius.

Et tunica illa Domini, quam milites ipſi diſcindere auſi non ſunt, nunc vulgò diſcerpitur variè, inque fruſta convellitur.

Lubbertus.

Appello tuam conſcientiam, an illi horum diſſidiorum rei ſunt, qui quantum poſſunt, contendunt, ut hæreſes arreant, & veram doctrinam in eccleſia retineant, & ad poſteros propagent? an verò iſti, qui damnatas hæreſes in eccleſiam noſtram introducere conantur?

Bertius.

Denique etiam hoc contendo: ut ſepoſito rerum humanarum coragio, ea quæ ſcripſi exactè examines, expendas, dijudices, meque de ſententia tua facias certiorem. Satis enim amplum theatrum ſapiens ſapienti eſſe debet ſub Chyſtarche Chriſto.

Lubbertus.

Ego hac in re tibi parui, & ſpero illos, qui hæc lecturi ſunt, iudicaturos eſſe me tuam hanc diſſertationem non ſegniter legiſſe. Vt autem ego omnia tua diligenter expendi, & examinavi: ita peto ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

tu etiam meas ad illa reſponſiones diligenter expendere, atque examinare velis.

Bertius.

Si ea, quæ ſcribo, vera, ſi Scripturis ſacris convenientia, ſi fidei & pietati fouendæ idonea, ſi conſcientijs expergefaciendis utilia ſunt, habes quod ſequaris, non me, abſit, ſed veritatem, ſed Deum.

Lubbertus.

At verò hæc omnia ſunt falſa, cum Scripturis ſacris pugnantia, fidem & pietatem evertentia, ipſoſque homines in hypocritas transformantia: non poſſum igitur ſequi. Nam ſi illa ſequerer; non veritatem, ſed mendacium; neque Deum, ſed Socinum, Servetum, & Oſtorodum ſequerer. Ego autem Vt me vel tellus optem prius ima dehiſcat, quam admittam ut tam triſte ſcandalum mea culpa in eccleſiam introducatur. Te rogo, ut vel meas reſponſiones refutare, vel veritati cedere velis.

Bertius.

Ego, ut cum ſapiente loquar, paratus ſum non tantum ſecus demonſtrati cedere de via, faſceſque ſubmittere, ſed etiam *ta idia* ſi opus fuerit *anairein polloon ger philoon oſeon protiman tæn alæthrian*. Veritas bonum eſt publicum.

Lubbertus,

Fac re ipſa quod verbis promittis, & erit inter nos conſenſus.

Bertius.

Vale. Datum Lugd. Bat. in coll. Theah. Illuſtrium Bataviæ ordinum. *6*. idus Iulias. A°. 1608.

Lubbertus.

Tu etiam vale. Precor ex animo, ut meas rationes rectè expendere, & in viam redire poſſis. Fran. A°. 1608. idibus Iul. Propter defectum navicularij detinui apud me uſque ad *6*. Cal. Aug.

PETRI

PETRI BERTII
SECVNDA EPISTOLA.

REddita mihi eſt heri ſub veſperam tua, ad diſſertationem meam de iuſtificatione, reſponſio: quam tamen tum per occaſiones alias, tum per morbum ex oculis, tum propter prolixitatem nondum perlegi: faciam tamen & cum cura, ſi Deus volet. Nam nunc quidem me habet commentarius meus rerum Pelagianarum. Imprimis autem gratias tibi ago ob ſuſceptum mea cauſa laborem iſtum diſquiſitionis, & ſcriptionis; pariaque omnia, quæ a me proficiſci in te poſſunt defero libens admodum ac volens: præſtiturus quandocumque & ubicumque id exiget occaſio. Non ſum autem, ô bone, ex eorum numero, qui ſententias iſtinſmodi temerè iactitant, magis ad acuminis alicuius aut argutiæ oſtentationem, quam ad oixodomæn en Chriſto *alætheias, eoque animos quorundam parum adhuc fultos quaſſant. Sed ſi quid naſcatur eiuſmodi, id placidè inter viros doctos & graves, & pios diſcutiendum eſſe ſemper iudicavi. Guadeo verò quod inciderim in te, quem reipſa video non eſſe ab hoc labore alienum. Hoc tantum rogo, ut verum ex verò eſtimemus, hoc eſt, ex ſe, neque præiudicia aliorum eſtimemus, ad eius condemnationem valere poſſe. In hoc ſane argumento video nil æquè in invidiam trahi,* quam quod Socinus tale quid habere dicatur. *Quo fit ut qui hoc ponunt protinus audiant Sokinomazein. Atqui, mi frater, multum ab hac ſententia Socinus recedit: neque eſt hoc en tais autuu archais, ſed tantum en epomenais. Ille negat ſanctam & adorandam*

randam

randam trinitatem: negat proinde æternam deitatem filij, per conſequens duas in Chriſto naturas: proinde meritum quoque paſſionis & ſatisfactionis eius pro peccatis noſtris. Quo fit ut iuſtificatio ipſi ſit actio Dei remittentis peccata ob fidem in Chriſtum? Quid autem? An eum, qui Deo pro peccatis noſtris ſatisfecit, qui iram eius placavit? Qui nos pretio ſui ſanguinis redemit, qui ſuſtulit ſuæ mortis merito peccata noſtra? Cuius ſanguis eſt antilytron, ilaſmos, antallagma pro peccatis noſtris? Negat Socinus: Ego verò ſtrenuè affirmo. Neque verò eadem quoque eſt ſententia Harminij *cum mea. Ego enimverò victus id poſui, quod video poſitum quoque ab* Harminio. *Sed cum pleroſque doctores noſtros (licet aliud agentes, ſæpe hoc ipſum, quod poſui dicant) ſentirem eam viam ingreſſos, quæ Catecheſi noſtra expreſſa eſt: neque poſſem aut vellem ab illorum ſententia ſecedere: ſtatui cum illis hoc quoque, ſtuduique partes inter ſe pro mea virili componere. Tres ergo habes adverſus te ſententias differentes. Vnam Socini impiam, quæ ſtatuit fidem in Chriſtum eſſe noſtram iuſtitiam, excluſo omni eius merito & ſatisfactione. Secundam* Harminij, *quæ meritum Chriſti excludit hoc modo. Qui credit in Chriſtum pro ſe natum, paſſum, mortuum, ſepultum, excitatum, evectum in gloriam, &c. ei fides gratis imputatur in iuſtitiam. Tertia mea eſt, quæ id ſtatuit quidem quod ponit* Harminius, *ſed & illud, quod Catecheſi noſtra, & recepta doctorum noſtrorum ſententia affirmatur. Iam verò ex hac poſteriori ſive communi, illam velle* Harminij *impugnare, non eſt eximere hoc ſcrupulum ex animo, ſed obtundere. Non tollit, inquan, controverſiam, qui ex poſteriori ſententia priorem oppugnat: Eodem enim artificio poſſet ex priori everti poſterior. Præterea, quæcunque adverſus me dicuntnr, hoc modo nihil valebunt adverſus* Harminium. *Ille enim id negabit, quod pro confeſſo a me poſtulatum eſt. Quocirca faciendum mihi videtur, ut qui priorem theſeos meæ partem velit ſubnectere, non eam committat*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

cum poſteriore, ſed directè id agat, *oſtendatque* non juſtificari credentem propriè fide in Chriſtum. Fidem propriè in juſtitiam non reputari. Deum non ſpectare in juſtificatione fidem noſtram, ſed meritum Chriſti : *ampliuſque declaret*, *quotieſcunque ſcriptura dicit fidem a Deo reputari in iuſtitiam*, neceſſariò per vocem fidei iutelligendum eſſe Chriſtum ipſum, aut juſtitiam obedientiamque eius fide apprehenſam, non autem fidem apprehendentem. *Quo facto neceſſe eſt ruat theſis illa de iuſtificatione. Quod ſi verò id non fiat, neceſſe eſt perpetuò peccari parà tò'en' archæ. Non poſſum autem celare te, mi Frater & Domine honorande, iudicari a multis idem cum* Harminio *ſentire D. Paræum in comment. Epiſt. Pauli ad Rom. In quo cum alias ſtudioſè omnia conſectetur & conquirat, quibus Socinum oppugnare poſſit, locum de iuſtificatione ita tractat, ut nil proferat adverſus eum. Velim omninò videas, quæ ſcribit: ſed ego nunc aliorſum vocor. Tu non deſines* (*ita rogo contendoque*) *ad nos quam ſæpiſſimè litteras dare, quæ mihi ſemper gratæ futuræ ſunt. Hæc ſcripſi ſubitò ut vides.* Vale. *Datæ Lugd. Bat.* 14. *Auguſt.* A°. 1608.

RESPONSIO
SIBRANDI LVBBERTI AD SECVNDAM EPISTOLAM PETRI BERTII.

CVm canicularibus finitis ex Thieſsingano, quò me poſt traditas priores litteras receperam, domum redirem; inveni iſtic tuas, quæ mihi ſanè gratiſsimæ fuerunt. Ad illas nunc reſpondeo.

Non

Non accuſavi te, quod ingenij & eruditionis oſtentandæ cauſa iſta jactites. Et qui poſsim id dicere? Eſt enim in illis nulla vera ſcientia theologica, ſed errores multi. Neque dixi tuam theſin *Sokinozein* ut tibi ex Sociniani nominis infamia invidiam concitarem. Scio non tam conſiderandum eſſe, quis dicat, quam quid dicatur: ut tamen politicis meritò ſuſpecta ſunt, quæ ab hoſte veniunt – – – – – – – – *Metuo Danaos & dona ferentes*: ita nobis ſummo jure ſuſpecta eſſe debent, quæ ab hæreticis proficiſcuntur. Hoc autem tempore vix ſunt pernicioſiores hæretici, quam Servetus & Socinus. Cum igitur videamus vos hanc impiam & damnatam doctrinam ab illis mutuari, quis nobis vitio vertet, quod illam ad normam Dei verbi examinamus, quodque illam a Scriptura diſcrepantem diſſentientemque aſpernamur & execramur? Socinus multò plura habet, quæ etiam tanquam impia & blaſphema dogmata abominamur. Fateor. Interea non negabis hanc opinionem, qua dicitis *fidem haberi a Deo pro perfecta legis juſtitia*. Et qua *Harminius* dicit, *nos per fidei actum tò credere proprio ſenſu, non metonymicè intellectum juſtificari*. Quaque dicit, *Juſtitiam ſive obedientiam Chriſti nobis non imputari, neque poſſe imputari*. Non, inquam, negabis hanc opinionem ex Socino deſumtam eſſe. Nos certè hoc ipſum in prima epiſtola tam clarè oſtendimus, ut non putemus quenquam fore tam indigum pudoris ſui, ut hoc negare auſit. Vt autem execrabilis hæreſis eſt dicere Chriſtum non eſſe æternum Deum: ita æquè maledicta opinio eſt, quæ ſtatuit fidem eſſe perfectam legis juſtitiam: item quæ ſtatuit nos juſtificari per fidei actum, id eſt, tò credere proprio ſenſu & non metonymicè intellectum. Dicere verò tò juſtificare eſſe univerſale *pathos* fidei, & juſtitiam ſive obedientiam Chriſti nobis non imputari, dico eſſe blaſphemam & ter quaterque execrabilem hæreſin. Provoco ad omnes orthodoxas eccleſias, & me illarum judicio ſubmitto. Dicis *juſtificationem Socino eſſe actionem Dei remittentis peccata ob fidem in Chriſtum*. At hoc ipſum eſt illud, quod tu ſcribis. Verba tua hæc ſunt:

Si fides credentis imputatur ei in iuſtiam: fides autem eſt opus credentis, neceſſe eſt opus credentis reputari, ſc. in iuſtitiam, quicquid contra afferri poſſit.

Et:

Si fides eſt qualitas nobis inhærens. Hi verò omnes quos

 comme-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

commemorat Apoſtolus, fide iuſtificantur.
Conſequens eſt eoſdem qualitate inhærente iuſtificatos eſſe.

Dicis te agnoſcere ſatisfactionem Chriſti: hanc non agnoſcere Socinum: Fateor: atque hac in parte diverſa eſt tua ſententia a ſententia Socini. Verum cum probas fidem propriè dictam haberi a Deo pro perfecta legis iuſtitia, inter cætera dicis, *tò juſtificare eſſe univerſale pathos fidei*. Hoc uno deſtruis omnia, quæ ante dixiſti. Nam ſi tò juſtificare eſt univerſale *pathos* fidei: tum juſtificare non convenit obedientiæ, ſanguini, morti aut ſacrificio Chriſti, id eſt, non convenit ſatisfactioni, aut juſtítiæ Chriſti. Ipſe non negabis neque obedientiam, neque ſanguinem, neque mortem, neque ſacrificium Chriſti habere vim juſtificandi, ſi tò juſtificare eſt univerſale *pathos* fidei. Repete illa, quæ ego in prima epiſtola de hac re ſcripſi, & excute totam, quam tantopere jactas apodicticam, atque experire an hoc argumentum ſoluere poſſis.

Harminius tecum docet fidem haberi a Deo pro perfecta legis juſtitia. Ipſe *Harminius* hoc ſatis clarè confitetur in epiſtola ad Legatum principis Palatini. Verba eius hæc ſunt: *Ipſum fidei actum, id eſt, tò credere dico imputari ad juſtitiam, proprio ſenſu, non metonymicè.* Sed hoc fieri non poteſt niſi fides habeatur pro perfecta legis juſtitia. Hac igitur in parte conſentitis. In altera parte ſcribis vos diſſentire: at hoc rectè. Nam tu adhuc agnoſcis obedientiam ſive juſtitiam Chriſti nobis imputari. Hoc verò negat *Harminius* in epiſtola ad. N. Verba eius hæc ſunt. *Dico fidem nobis imputari ad juſtitiam propter Chriſtum & juſtitiam eius, in quâ enunciatione fides eſt objectum imputationis: Chriſtus verò & obedientia eius, eſt cauſa juſtificationis impetratoria ſive meritoria. Qui Chriſtus cum obedientia ſua objectum eſt fidei noſtræ, & non objectum iuſtificationis, ſeu imputationis divinæ, quaſi Deus nobis Chriſtum eiuſque iuſtitiam imputet ad iuſtitiam, quod fieri nequit.* Vide, apertè dicit *iuſtitiam Chriſti nobis ab iuſtitiam imputari non poſſe.* Iam recole quæ ego in reſponſione ad primam tuam epiſtolam ſcripſi: & judica ipſe an *Harminij* opinio de fide juſtificante vel latum pilum differat a blaſphemia, & damnata hæreſi Serveti, Socini, & Oſtorodi? Quod *Harminius* ſcribit *Chriſti obedientiam eſſe cauſam impetratoriam ſeu meritoriam iuſtificationis noſtræ,* vix intelligi poteſt niſi lucem adferat Oſtorodus, qui ſcribit in diſputatione contra Georgium Tradelij fol. 250. **Ob ich aber wol vnſere gherechtichept den verdienſte Chriſti abſchlage (nach**

dem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

dem mahlle ich ſulch ein verdienſt nicht bekenne noch erkenne:) So ſchlaghe ich doch ſeinen bluedte vndt todt nicht abe/ ſondern ſchꝛibe ſie ihnen zu / ſo fern ſein Bludt vnd todt die dinghen in vns wircket/vmb welcher willen vns Gott rechtferdighen wil / nemblich den Glauben. *Etſi noſtri iuſtificationem merito Chriſto detraho (quoniam tale meritum neque cognoſco neque agnoſco) tamen non detraho eam ſanguini & morti Chriſti : ſed tribuo eam illis , quatenus ſanguis & mors Chriſti in nobis efficiunt eas res , propter quas Deus nos iuſtificet, nempe fidem.* Hæc eſt , quicquid ſimuletis & diſsimuletis, ipſiſsima veſtra opinio. Vultis enim una cum Oſtorodo Chriſtum nil meritum eſſe nobis: ſed quicquid meritus eſt, meritum eſſe fidei: ut ſc. fides propter meritum & obedientiam Chriſti habeatur pro perfecta legis juſtitia, quâ nos coram Deo juſtificamur.

Hanc rem ita ſe habere, ut ex *Harminio* eliceremus, rogauimus illum in præſentia multorum fratrum Hagæ Comitum, ut oſtenderet quidnam in Catecheſi & confeſsione noſtra deſideraret: ut intellegeremus in verbiſne, an in rebus, iſtæ, quas oſtendi cupiebamus, controverſiæ ſitæ eſſent? & deſpiceremus, tolerari poſſent, nec ne? Addidimus nos laboraturos eſſe ſi tantum in modis loquendi diſsideremus, ut ipſi ſatisfaceremus: ſin autem in ipſis dogmatis controverſiæ ſitæ eſſent, nos itidem laboraturos eſſe, ut ipſi ſatisfaceremus: ſin minus nos daturos eſſe operam, ut certis conditionibus inter ſe Leidæ quietè & pacificè agere poſſent: ſi neque hoc obtinere poſſemus, nos velle nos ipſi jurejurando obſtringere, quod extra illud cœnaculum, in quo eramus congregati, proferre nollemus, quicquid nobis dicturus & revelaturus eſſet.

Ad hanc tam æquam petitionem nil aliud reſponſi tulimus, quam illum non teneri, neque velle ſeſe niſi in Synodo patefacere. Nos regeſsimus illum duplici jure teneri ſeſe declarare, quid in doctrina deſideraret. Primum *quia Chriſtianus eſſet:* Deinde *quia doctor eſſet Theologiæ. Quia Chriſtianus.* Petrus enim vult omnes Chriſtianos ſemper paratos eſſe, ad reddendam rationem iſtius ſpei, quæ in illis eſt, 1. Petri 3. 15. *Quia Doctor Theologiæ.* Doctoris enim Theologiæ eſſe, quemlibet, qui ad diſcendum paratus eſt, veritatem docere: nos autem cupere illam ab ipſo diſcere. Hæc & ſimilia dicebamus. Sed his omnibus nihil aliud extorquere potuimus, quam ſe neque teneri neque velle.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Tandem diximus nos ex hac tergiverſatione nihil aliud colligere poſſe, quam eum hoc agere, ut ſolus paratus accedat ad Synodum, cæteri imparati: ſed illum non debere tam abjectè ſentire de ſuis ſymmyſtis. Docere enim hanc actionem præparatoriam, ad quam ille cum paratus veniſſet, cæteri imparati, quam parum præſidij ſit in hac occultatione. Articuli enim propoſiti, etſi illis ſolis noti, cæteris omnibus ignoti fuiſſent; ita tamen per Dei gratiam eſſe explicatos, ut Eccleſia ex illorum explicatione multum commodi percipere poſsit. Debere illum, ex hac collatione, de futura, quæ in Synody inſtituenda eſt, indicium facere. Sed his omnibus nil promovimus, neque quicquam aliud exprimere potuimus, quam eum non teneri neque velle ſeſe niſi in Synodo patefacere. Hanc tergiverſationem cæteri fratres, neque excuſare, neque in bonam partem accipere potuerunt. An ille per illam auxerit ſuam authoritatem, ipſe viderit.

Porro licet tam anxiè oraremus ut nobis ſuam ſententiam patefaceret: tamen eam prorſus non ignorabamus. Multa enim ex ipſius ſcriptis, ex theſibus, ex epiſtolis de hac re ad amicos ſcriptis, & ex ipſius auditoribus, qui frequenter ad nos veniunt, cognoveramus. Neque ille hoc ignorabat. Quin cum intelligeret has hæreſes a ſe ſparſas innoteſcere, & videret ſe tandem volentem nolentem coactum iri, de illis rationem reddere, incidebat in cordolium, eoque extinctus eſt.

Tu recole quod ſcribis tres eſſe opiniones contra me. Vnam Socini. Alteram *Harminij*. Tertiam tuam: eaſque inter ſe diſſentientes que diſcrepantes. Iam verò ſententiam, quam ego tueor eſt eccleſiæ noſtræ, ut in reſponſione ad primam epiſtolam copioſè oſtendi: Hic voco omnes paſtores, qui ſunt non ſolum in fœderata Belgica, ſed etiam in Helvetia, Sabaudia, Palatinatu, Gallia, Anglia, Scotia, teſtes atque judices. Tres igitur ſunt diſcrepantes opiniones contra eccleſiam noſtram, etiam te judice ac teſte. Atque ex his duæ ſunt illorum, qui profitentur ſe eſſe adminiſtros verbi in fœdeata Belgica. Vna ſc. *Harminij*, qui eſt Doctor & Profeſſor Theologiæ in Academia Leydenſi: Altera tua, qui es Profeſſor & Præſes Collegij Hollandici, quod eſt in eadem Academia.

Cum hac tua confeſsione & cum re ipſa confer juſjurandum quo *Harminius* & .... jurant, ſe nullum adminiſtrum verbi (quo nomine ſe quoque cenſeri volunt) noſcere in toto hoc Belgio, qui

gio, qui

gio, qui aliquid in recepta doctrina immutare velit. Confer, inquam, hanc tuam ingenuam confeſsionem cum illo jurejurando, & judica ipſe, an non *Harminius* perinde faciat ac ſi quis ignem injiciat in claſſem Amſterodamenſem, eamque exurat, & per plateas omnes curſitans clamet: Quieſcite, quieſcite cives, nolite vos commovere, neque ad claſſem accurrite, nihil enim incommodi illatum eſt in claſſem veſtram.

Putas non tollere controverſiam, qui per poſteriorem ſententiam oppugnat priorem. Sed ego non potui tuam ſententiam commodius oppugnare, quam ex illis, quæ ipſe poſuiſti. Hoc modo diſputat Socrates, ut apud Plationem videre poſſumus. Ipſe Ariſtoteles, ut ſcis, nos docet reſpondentem redarguere per propriam confeſſionem. *Harminij* opinionem oppugnare, mihi hoc tempore propoſitum non fuit. Tu conſcripſiſti diſſertationem de fide juſtificante, eamque ad me miſiſti, ut vel approbarem ſi vera eſſet, vel improbarem ſi falſa eſſet. Viſa eſt autem mihi eſſe falſa. Oppugnavi igitur eam: ſed oppugnavi eam maximè ex illis, quæ ipſe poſuiſti, ut ne vel unum quidem verbum ad illorum defenſionem contra me afferas. Provoco igitur ad Profeſſores organi, qui ſunt Leydæ, an hac in re quicquam admiſerim, quod pugnat cum præceptis inſtitutiſque inſtrumenti diſtinguendi verum a falſo.

Cum dicis eodem artificio ex priori everti poſſe poſteriorem, oſtendis ipſe has duas, quas ponis opiniones, ſimul conſiſtere non poſſe. Nam ſi ſimul conſtare poſſent, una per alteram everti non poſſet. Deinde eſt falſum quod dicis. Poſterior enim ſententia, qua dicis Chriſti juſtitiam nobis imputari, habet Deum authorem, & eſt vera. Hæc prior, quâ dicis, fidem haberi a Deo pro perfecta legis juſtitia, habet Servetum, Socinum, & Oſtorodum authorem, ut ego in reſponſione ad primam epiſtolam ſufficienter oſtendi, & eſt falſa. Per illam igitur hæc, non per hanc illa everti poteſt. Extra controverſiam enim pono, falſitatem poſſe everti per veritatem, non contra. Adhæc, unam tuæ theſeos partem oppugnavi per alteram, ſed addidi etiam alias rationes, quæ in tua theſi, & in epiſtola tua non ſunt. Harum vi eandem tuæ theſeos partem oppugnavi; neque tu vel unum verbum affers contra ea, quæ ego ex tuis theſibus & epiſtola deſumſi, neque etiam ad ea, quæ ego extra epiſtolam, theſinque tuam, ad tuam opinionem deſtruendam, adduxi. Quâre tanquam tacita confeſsone oſtendis, alteram tuæ theſeos partem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

prorſus everſam eſſe. Tua opinio, quam dico *Sokinizein* non eſt in *tais epomenais tuu Sookinuu*, ſed eſt *en tais autuu archais*, ut quilibet judicare poteſt, qui libros Socini, & tuam hanc epiſtolam vel ſemel perlegit, & hanc cum illis mediocri diligentia adhibita contulit.

Cum dicis me directè debuiſſe oſtendere non juſtificari credentem propriè fide in Chriſtum, prævaricaris. Non enim quæſtio eſt an Credens juſtificetur propriè fide in Chriſtum. Sed diſputamus an fides propriè ſic dicta imputetur nobis in juſtitiam? vel quod idem eſt, an juſtificemur fide propriè ſic dicta, hoc eſt, an per opus noſtrum, ſive per qualitatem nobis inhærentem juſtificemur. Equidem inter nos controverſia non eſt, quomodo verbum juſtificare accipiatur; ſed omnis controverſia in eo conſiſtit, *An fides propriè, an verò impropriè accipiatur, cum illa juſtificari dicimur*. Tu dicis illam propriè accipi: Ego contra contendo illam accipi impropriè, videlicet metonymicè, vel etiam correlativè, ut in prima epiſtola copioſe oſtenſum eſt. Dicis me petere principium, cum te ex illis, quæ ipſe poſuiſti, oppugno, & cum unam tuæ theſeos partem per alteram deſtruo. Serione id dicis? Atqui ego pono illa, quæ tu ipſe ponis, quæ approbas, quæ defendis, quæ aſtruis, & per hæc ipſa everto illa in quibus a nobis diſſentis. Eſt ne hoc ponere illud, quod eſt in principio? Equidem rogandus es, ut cum Ariſtotelis organum recuditur, hunc novum modum petendi illud, quod eſt in principio, addere velis? Hactenus putavimus illos tantum petere principium, qui vel idem per idem: vel ignotum per illud, quod æquè ignotum eſt: vel denique qui falſum per illud, quod æquè falſum eſt, probare conantur. Qui verò illud ponunt contra adverſarium, quod ipſe adverſarius ante poſuit, quod probavit, quod adſtruxit, quod defendit: qui, inquam, hoc ponit contra adverſarium, illum accuſare propterea quod erret in eo, quod eſt *para tò en archæ*, hactenus intolerabile viſum eſt. Doctiſsimo & integerrimo viro Davidi Paræo faciunt injuriam, qui hanc opinionem, ſive *Arminij* ſive tuam illi affingunt. Equidem locis a te allegatis ne unum quidem verbum exſtat, ex quo id colligi poſsit. Quin ubique docet contrarium. Veſtram opinionem ubique rejicit: noſtram verò claris verbis approbat atque defendit. Eius verba hæc ſunt in ad Rom. fol. 331. *Oſtendimus fidem juſtificare non habitualiter, ut eſt qualitas: ſed relativè, quia correlativum fidei, ſatisfactio & meritum Chriſti fide apprehenſum, juſtificat*. Et fol. 386. *Cum fides dicitur imputari pro juſtitia,*

ſtitia, id non intelligendum eſt materialiter, ſed intelligendum relativè: quod credenti juſtitia fuerit gratis imputata, ſeu quod credens ex gratia fuerit juſtus reputatus: item organicè, quod fide acceperit juſtitiam, ſeu remiſſionem peccatorum a Deo gratis datam. Et pag. 474. *Patet igitur, juſtificari fide, idem eſſe, quod juſtificari fide ſanguinem ſeu mortem Chriſti amplectente, ſeu iuſtitiam a Deo per Chriſti ſanguinem gratis imputatam, fide recipere. Fides igitur organum, ſanguis Chriſti meritum eſt iuſtificationis noſtræ, ita fides noſtra iuſtificat organicè, ſanguis Chriſti meritoriè.* Et pag. 877. *Aliud eſt fides, aliud iuſtitia. Juſtitia enim eſt ex fide. Fides eſt organum accipiens iuſtitiam. Et iuſtitia fidei non eſt inhæſiua qualitas, ſed donum remiſſionis peccatorum.* Plura de hac re fortaſſe ſcribam, cum accepero pleniorem illam tuam, quam promittis, reſponſionem. Vale. Frani. Anno Chriſti 1608. 31. Auguſti.

TERTIA EPISTOLA PETRI BERTII CVM RESPONSIONE SIBRANDI LVBBERTI.

VIx tandem ex profectiuncula domum reveni, cum a me literas tuis verbis efflagitat tabellarius. Et ſcio ex pacto me illas & more debere tibi. Sed cum tempore deſtituar faciam breviter id quod prolixius alias fueram facturus. Legi diligenter, & cum timore Domini ſecundum menſuram donationis acceptæ, expendi ea, quæ iam geminis literis ad me de argumento propoſito ſcribere placuit. Et tamen nihil adhuc cauſæ video, cur negandum putem, fidem quoties ex ea iuſtificari a Deo dicimur

 propriè

propriè accipiendam eſſe. Expectabam quidem poſtrema epiſtola tua cauſas, cur ſepoſita pauliſper ſententia poſteriore noſtræ theſeos, per fidei vocem neceſſario apud B. Paulum deberet intelligi iuſtitia Chriſti fide apprehenſa, per metonymiam, non autem fides ipſa apprehendens. Sed cum hoc non feceris, proferam ipſe ea, quibus puto efficaciter probari poſſe, fidem propriè in hoc negotio ſumi oportere. Tuum erit, ſi ita videbitur, hæc ipſa prioris epiſtolæ meæ rationibus adiungere.

Lubbertus.

Duo mihi propoſita fuerunt. Vnum, argumenta, quibus conaris probare fidem propriè dictam haberi a Deo pro perfecta legis juſtitia, refellere. Alterum, oſtendere, fidem cum illa juſtificari dicimur, impropriè poni pro juſtitia Chriſti, quam fide apprehendimus. Quantum autem præſtiterim, aliorum eſto judicium. Poſtremâ epiſtolâ non fuit mihi neceſſe ullam cauſam afferre, quare judicarem fidem impropriè pro juſtitia Chriſti accipi debere, cum illa juſtificari dicimur. Nam cum tu in tua ſecunda epiſtola ne unum quidem verbum afferas, quo vel tua argumenta fulcias, vel mea refellas: opinatus fui, me argumenta tua, quibus aſſeris fidem haberi a Deo pro perfecta legis juſtitia, ſufficienter refutaſſe, & ſimul luculenter remonſtraſſe, fidem, cum illa juſtificari dicimur, impropriè accipi debere. Quod petis ut rationes, quas in hac epiſtola ponis, rationibus primæ epiſtolæ tuæ adjungam; faciam libenter & bona fide. Argumenta igitur hæc ſunt.

Bertius.

Quia per nullam unquam figuram oppoſitum pro oppoſito ſumitur, aut relatum pro correlato, aut habitus apprehendens pro re apprehenſa.

Lubbertus.

Atqui in ſacramentalibus locutionibus ferè ſemper accidit, ut oppoſitum pro oppoſito, ſive relatum pro correlato ſumatur.

1.Cor.11.25. *Hoc poculum eſt novum teſtamentum in meo ſanguine.*
1.Cor.5.7. *Chriſtus eſt paſcha.*
Matth.26.26. *Hoc* ſcilicet panis *eſt corpus.*

Matth.26.

Matth.26.28. *Hoc* ſc. vinum *eſt ſanguis.*
Exodi 12.11. *Agnus eſt tranſitus.*
Geneſ.17.10. *Circuncifio eſt fœdus.*

His equidem locis oppoſitum ponitur pro oppoſito. Imò oppoſitum attribuitur oppoſito. Non enim poculum, ſed eius oppoſitum, eſt novum teſtamentum. Neque Chriſtus, ſed eius oppoſitum eſt paſcha. Quanquam hic poſſet quis duplicem metonymiam notare. Chriſtus enim eſt *antitupon* agni, atque hic ſignificat tranſitum. Neque panis, ſed eius oppoſitum eſt corpus. Neque vinum, ſed eius oppoſitum eſt ſanguis. Neque agnus, ſed eius oppoſitum eſt tranſitus. Neque circumciſio, ſed eius oppoſitum eſt foedus. Quemadmodum igitur non agnus, ſed eius oppoſitum eſt foedus: ita non fides noſtra, ſed eius oppoſitum, nempe obedientia Chriſti, eſt juſtitia noſtra. Rom. 5. 19. *Per unius obedientiam iuſti conſtituentur multi.* Rom. 5.9. *Juſtificati ſanguine.* Ex his per ſe corruit quod addis nullum relatum poni pro correlato. Corpus enim eſt correlativum panis; ſanguis eſt correlativum vini: tranſitus eſt correlativum agni: foedus eſt correlativum circumciſionis. Quanquam hæ duæ rationes coincidant. Relatio enim eſt ſpecies oppoſitionis. Quamobrem ſi probare potero, Relativum poni pro correlativo, uno, eodemque labore probavero, oppoſitum poni pro oppoſito.

Huiuſmodi loquendi formæ etiam in profanis autoribus occurrunt. Hom. Iliad. 3. *Præcones verò per urbem Deorum ferebant fœdera firma, Agnos duos,*

Explica mihi quomodo agni ſint fœdera, ſi oppoſitum non ponitur pro oppoſito, aut relativum pro correlativo? Agni enim quicquid dicas, non ſunt fœdera, ſi propriè loqui velis.

Bertius.

Neque per ullam unquam figuram oppoſitum aut affectio oppoſiti de oppoſito prædicatur.

Lubbertus.

Oppoſitum prædicari de oppoſito, jam ſatis ſuperque, opinor, demonſtratum eſt. Sed & affectio oppoſiti de oppoſito prædicatur.

Marci 14.12. *Quando paſcha ſacrificabant.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Lucæ 22.11.	*Ut paſcha cum diſcipulis meis edam.*
Epheſ.5.26.	*Purgans eccleſiam lavacro aquæ.*
1.Petri 3.21.	*Baptiſmus nos ſalvos facit.*
1.Cor.5.7.	*Paſcha noſtrum eſt ſacrificatum.*
Titi 3.5.	*Servamur per lavacrum regenerationis.*
Actor.22.16.	*Ablue peccata tua.*
Geneſ.17.13.	*Erit pactum hoc meum in veſtra carne.*
Lucæ 22.19.	*Hoc* ſc. panis *pro vobis traditur.*
Matth.26.28.	*Hoc* ſc. vinum *pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum.*

Beza parte ſecunda quæſt. de Sacramentis, quæſt. 80. *Panis ille dicitur corpus illud pro nobis traditum, poculum illud dicitur ſanguis ille pro nobis effuſus.* Atqui non paſcha, ſed eius objectum nempe agnus ſacrificabatur & edebatur: neque lavacrum aquæ, ſed eius objectum nempe ſanguis Chriſti, purgat eccleſiam: neque paſcha, ſed eius objectum, nempe Chriſtus, pro nobis ſacrificatum eſt: neque panis, ſed eius objectum, nempe corpus Chriſti, pro nobis traditum eſt: neque vinum, ſed eius oppoſitum, nempe ſanguis Chriſti, effuſum eſt in remiſſionem peccatorum noſtrorum: neque aqua baptiſmi, ſed eius objectum, nempe ſanguis Chriſti, abluit peccata noſtra: neque pactum Dei cum Iſraele initum, ſed eius objectum, nempe circumciſio, erat in carne Iſraelitarum.

Quemadmodum autem non lauacrum aquæ, ſed eius objectum, nempe ſanguis Chriſti purgat eccleſiam ab omni peccato: ita non fides, ſed eius objectum, nempe obedientia ſive juſtitia Chriſti nobis imputatur ad juſtitiam. Et quemadmodum non aqua baptiſmi, ſed eius oppoſito, nempe ſanguine Chriſti, abluimur a peccatis noſtris: ita non fide, ſed eius oppoſito, nempe obedientia Chriſti, conſtituimur juſti.

Si hoc tuum argumentum diligenter expendes, videbis illud eſſe contra te ipſum. Eſto enim hæc major.

Affectio oppoſiti non prædicatur de oppoſito.

Sit hæc minor.

Iuſtificare eſt affectio iuſtitiæ, quæ eſt fidei relative oppoſita.

Atqui ego ex his concluſero.

Ergo iuſtificare non prædicatur de fide.

Mino-

Minorem, ſat ſcio, non negabis. Iuſtificare enim eſt affectio juſtitiæ. Major eſt tua. Et tamen concluſio eſt falſa. Quid igitur? Si propriè loqueris, concedo majorem. Affectio enim unius oppoſiti, quæ vera eius affectio eſt, nunquam prædicatur propriè & regulariter de altero oppoſito. Neceſſariò igitur ſequitur, hanc propoſitionem, *Fides imputatur pro iuſtitia*, eſſe irregularem, & eſſe per tropum explicandam. Cauſa huius rei eſt, quia fidei tribuitur affectio oppoſiti. Verum, ſi juſtificare non eſt propria affectio fidei, dic mihi, quæ nam ſit propria eius affectio? Credere. Tu ipſe hoc aſſeris. Dicis enim *tan piſtin kai tò piſtevein*, hoc eſt, fidem & credere eſſe *paranuma*, & hoc rectè. Nemo autem rectè dixerit fidem & juſtificare eſſe *paranuma*. Credere igitur eſt verus actus fidei; juſtificare verò non eſt proprius actus fidei: ſed eſt proprius actus juſtitiæ. Proinde, ut credere non propriè prædicatur de juſtitia: ita juſtificare non propriè prædicatur de fide.

Bertius.

Nam eadem ratione dicam ego, *correlativè & metonymicè verum eſſe. Pater eſt qui gignitur. Oculus eſt qui diſgregat viſum. Scientia eſt, quæ habet tres.*

Sunt autem oppoſita & quidem relatè *piſtis* & *tò piſton*. Quum ergo natura ipſa ab huiuſmodi loquendi modo abhorreat, fateamur neceſſe eſt, propriè loqui Apoſtolum, & ſine figura, cum dicit, fides imputatur in juſtitiam, vel fide juſtificamur.

Lubbertus.

Sic argumentaris:

Quædam oppoſita non dicuntur de oppoſitis.
Ergo nulla. vel:
Quædam affectiones oppoſiti non dicuntur de oppoſito.
Ergo nullæ.

Quam autem hoc argumentandi genus ſit infirmum, tu non ignoras. Deinde in exemplis eſt magna diſsimilitudo. Pater enim & filius ſunt relativa ſecundum eſſe. Fides verò & juſtitia ſunt relativa ſecundum dici. Adhæc ut *piſtis* & *piſton* ſunt oppoſita: ita *elpis* & *elpiſon* ſunt oppoſita. Attamen legimus *peri tæs elpidos* prædicari, quod eſt *tuu elpiſuu* proprium. Maro I. Georg.

——— Anni ſpem credere terræ.

Ipſe cogeris fateri, non ipſam ſpem, ſed eius objectum, hoc eſt, fruges uberibus fructibus naſcituras terræ mandari. Plautus Aſtraba: *Cupio meam ſpem ſequi*. Non tamen ſpem ſuam objectum, hoc eſt, ſponſum ſuum, quem ſperabat, conſequi cupiebat. Paulus Rom. 8. 24. *Spe ſalvi facti ſumus*. Cum tamen non ſpes noſtra, ſed eius objectum Ieſus Chriſtus nos ſalvos faciat. Quid ni igitur eadem ratione dicam, non ipſam fidem, ſed eius objectum, nempe Ieſum Chriſtum nos juſtificare.

Bertius.

Quia terminus ille *Fides* toties & ſignificanter Paulo cap. 3. 4. 5. ad Rom. exprimitur, & tam multis limitationibus, additamentis, & reſtrictionibus definitur, & quaſi circumſcribitur, ut accuratius examinanti dubium eſſe non poſsit, quin fidem voluerit propriè & citra omnem figuram intelligi. Vide enim quid dicat: *Credidit Abraham Deo & reputatum eſt ei in iuſtitiam*. Principiò *paronuma* ſunt fides & credere. Quis autem dicet tò credere illic impropriè ſumi. Quod ſi tò credere propriè ſumitur, cur non eſt fides, cum dico fides reputatur in juſtitiam.

Lubbertus.

Quod fides iſtis tribus capitibus tam ſignificanter exprimitur, tam multis limitationibus, & reſtrictionibus circumſcribitur, eſt pro nobis. Hinc enim diſcimus, fidem impropriè ſumi, cum illa juſtificari dicimur. Vide, Apoſtolus hoc loco credere & operari opponit. Rom. 4. 4. *Non operanti, ſed credenti*. Credere igitur hoc loco non accipitur propriè. Nam credere propriè acceptum eſt operari.

Adhæc, Apoſtolus his capitibus contendit Abraham juſtificatum eſſe fide: & ſimul negat illum juſtificatum eſſe operibus. Ergo fides, quâ Abraham juſtificatus eſt, non accipitur propriè pro opere. Nam hæc duo

Abraham non eſt iuſtificatus operibus.

Et:

Abraham eſt aliquo opere, nempe fide iuſtificatus.

Sunt contradictoria. Sed illa habet Deum authorem. Rom. 4. 2. *Si Abra-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet quod glorietur, ſed non apud Deum. Ergo hanc eſſe falſam eſt neceſſe. Eodem loco docet Paulus nos gratis juſtificari. Rom. 3.24. *Iuſtificamur gratis, eius gratia, per redemtionem factam in Chriſto Ieſu.* Sed hinc ſequitur nos non juſtificari fide propriè accepta. Fides enim propriè accepta eſt opus. Sed juſtificatio ex gratia, & juſtificatio ex opere ſunt oppoſita, & ſimul conſiſtere non poſſunt. Rom. 11.6. *Quod ſi per gratiam, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non eſt gratia; ſin ex operibus, iam non ex gratia, alioquin opus iam non eſſet opus.* Res ipſa hoc docet. Nam cum fide juſtificamur, tum non præſtamus aliquid Deo; ſed accipimus aliquid a Deo. Atque hæc eſt ſpecifica differentia inter juſtificationem fidei, & juſtificationem operum. Scio Apoſtolum ſcripſiſſe: *Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Neque ignoro fidem & credere eſſe *paronuma.* Sed quia fides & credere ſunt *paronuma*; colligo credere eſſe univerſalem affectionem fidei, ac proinde propriè & per ſe prædicari de fide. Ex eodem fonte colligo, fidem & juſtificare non eſſe *paronuma:* neque juſtificare eſſe univerſale *pathos* fidei; ac proinde propriè & per ſe de fide prædicari non poſſe. In prima collatione oſtendi, juſtificare eſſe univerſale *pathos* juſtitiæ. Hæc omnia, quia in logicis es admodum exercitatus, te admittere credo. Sed his poſitis eſt impoſſibile, ut juſtificare per ſe, & quatenus ipſum prædicetur de fide. Vniverſale enim *pathos* unius habitus nempe juſtitiæ, per ſe & quatenus ipſum prædicari de alio habitu a juſtitia prorſus ſeparato, videlicet, de fide, qui affirmat, non ſolum principium demonſtrationis evertit, ſed totam rerum naturam pervertit.

Priuſquam progredior, annoto, Iuſtitiam, cuius univerſale *pathos* eſt juſtificare, non eſſe juſtitiam noſtram, ſed eſſe juſtitiam Ieſu Chriſti. Phil. 3.9. *Ut inveniar in eo non habens meam juſtitiam, ſed eam, ſc. juſtitiam, quæ eſt Chriſti per fidem.* Hac ſola juſtitia poſita, ponitur juſtificatio: Rom. 5.19. *Per unius obedientiam* (obedientiam Chriſti & eiuſdem juſtitiam pro eadem re accipio) *juſti conſtituentur multi:* Et ablata, aufertur. Hebr. 9.22. *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Quæris, quiſnam ſit dicturus tò credere illic impropriè accipi? At, mi frater, hic planè prævaricaris. Non enim tò credere in illis verbis *Credidit Abraham Deo:* ſed in altero membro, quod ſcilicet ſub intelligitur, impropriè accipitur. Quod ut intelligatur: dico plenam ſententiam eſſe hanc: *Credidit Abraham Deo,*

& hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

& *hoc* ſc. *credere*, *ſive hoc quod credidit*, *eſt illi imputatum ad juſtitiam*. Vide, tò credere in primo membro propriè accipitur. Abraham enim verè & propriè credidit. Sed in altero membro non accipitur propriè: ratio, quia credere, ſi propriè loqui velis, non eſt idem quod juſtificare: neque fides, ſi propriè loqui velis, eſt idem quod juſtitia: quod utrumque tibi omninò dicendum erit, ſi tibi ipſi conſtare voles. Tu quidem hoc in prima collatione aſſeruiſti, ſed admodum inconſideratè. Nam tò credere eſt univerſale *pathos* fidei. Fides enim credit per ſe & quatenus ipſum, hoc eſt, totum credere vel eſt in fide, & extra fidem non reperitur, vel quod idem eſt, poſito credere, ponitur fides, & ablato, aufertur: & vice verſa, poſita fide, ponitur credere, & ablata, aufertur. Sed juſtificare univerſale *pathos* fidei non eſt. Nam neque poſita juſtitia, ponitur fides, ut in gloria: neque ablata fide, aufertur juſtitia, ut in infantibus, quod eſt prorſus contra naturam univerſalis *pathuus*, ut ego in prima collatione oſtendi. Aut igitur dicendum tibi erit, unum & idem univerſale *pathos*, eſſe in duobus diverſis ſubjectis, hoc eſt, eſſe univerſale *pathos*, & non eſſe. Aut concedendum tibi erit, juſtificare quod eſt univerſale *pathos* juſtitiæ Chriſti, non eſſe univerſale *pathos* fidei noſtræ. Illud non dices, ſat ſcio, tua enim Logica, quam ipſe edidiſti, & quæ tibi magnam laudem conciliavit, docet contrarium. Huc igitur tibi omninò deveniendum eſt, ut nobiſcum tandem dicas, juſtificare impropriè dici de fide.

Bertius.

Præterea reſolve iſta, *Fides Abrahæ reputata eſt*, &c. *Fides credentis imputatur*, &c. a quo Rethore colorem mihi aut figuram mutuabor, quo oſtendam, vocem fidei, cum dico, *Fides Abrahæ*, propriè non eſſe intelligendam.

Lubbertus.

Ego quidem libenter illa reſolvam. Quæ igitur, inquis, & eſt vera ſententia harum propoſitionum? Hæc ſcilicet. *Fides Abrahæ*, hoc eſt, obedientia Chriſti quam Abraham credidit, imputata eſt Abrahæ ad juſtitiam. Eadem obedientia imputatur cuilibet credenti ad juſtitiam. Rom. 5. 19. *Per unius obedientiam iuſti conſtituentur multi.* Ad Hebr. 9. 15. *Ob id noui teſtamenti mediator eſt, ut morte intercedente ad redemtionem earum prævaricationum, quæ in priore teſtamento fuerunt, iy, qui vocati ſunt, promiſſionem æternæ hæreditatis accipiant.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

accipiant. Hac unius obedientia Abraham juſtus conſtitutus eſt: vel quod idem eſt, hac morte mediatoris redemtæ ſunt iniquitates Abrahæ. Hæc obedientia eſt Abrahæ imputata. Alterius enim obedientia nemo juſtificatur, niſi hæc illi imputetur. Per hanc autem ſive obedientiam, ſive juſtitiam Chriſti, quia Abraham fide accepit, fide juſtificari dicitur. Per metonymiam enim tribuitur fidei, ut inſtrumento, quod eſt juſtitiæ.

Bertius.

Iam verò vide limitationes. Quænam eſt illa fides, quam Abrahæ tribuit Apoſtolus? Nimirum ea, quâ minimè vacillavit, nec conſideravit ſuum ipſius corpus jam emortuum, nec emortuam vuluam Saræ, nec diſceptavit infidelitate, ſed robuſtus fuit, & gloriam dedit Deo, ac planè perſuaſus fuit, eum, qui promiſerat, poſſe etiam facere. Hoc, inquam, credere, hæc fides imputata eſt ei in juſtitiam. Nullum eſt certius argumentum proprij ſermonis, examine tot deſcriptionum. Si per fidem voluiſſet Apoſtolus, non fidem ipſam, ſed Chriſtum aut iuſtitiam Chriſti fide apprehenſam ſignificare; non debuiſſet immorari tali deſcriptioni: ſed debuiſſet juſtitiæ Chriſti affectiones aliquod recenſere. Sed hoc non facit. Profectò videntur mihi ex fide ſua Chriſtum ipſum fabricare, qui in tam claris formulis motonymiam comminiſcuntur.

Lubbertus.

Hæc omnia, quæ Apoſtolus hoc capite in commendationem fidei Abrahæ ſcribit, deſtruunt tuam ſententiam. Ac primum in omnibus hiſce limitationibus ne uno quidem verbo docet Apoſtolus, *Juſtificare eſſe univerſale pathos fidei:* neque docet *fidem haberi a Deo pro perfecta legis iuſtitia:* Neque docet *fidem per ſe & quatenus ipſum iuſtificare*, quod certè faceret fides ſi juſtificare eſſet eius univerſale *pathos*, ut tu in prima collatione aſſeruiſti. Deinde hæc eadem docent non quamlibet fidem, ſed illam tantum, quæ promiſſionem de Chriſto recipit, nobis pro juſtitia imputari. Hoc libenter mihi dabit quicunque illud caput vel ſemel perlegit. Equidem Apoſtolus hoc diſertè ſcribit. *Non enim per legem promiſſio ceſſet Abrahæ aut ſemini eius, ut hæres eſſet mundi, ſed per iuſtitiam fidei.* Et verſ. 16. Propterea ex fide eſt hæreditas ut ſit per gratiam, ut firma ſit promiſſio toti ſemini. Sed hoc etiam eſt contra te. Nam ſi non quælibet fides, ſed illa tantum, quæ promiſſionem Chriſti recipit, nos juſtificat; ſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

cat; ſequitur, nos cum fide juſtificamur, non aliquid Deo præſtare: ſed aliquid a Deo accipere. Hæc una ratio ſufficit ad tuam ſententiam reijciendam. Nam ſi fide tanquam opere noſtro juſtificamur, tum juſtificamur præſtando aliquid Deo. Specifica enim differentia juſtificationis fidei & operum hæc eſt, ut antè dixi, quod in operũ juſtificatione aliquid præſtamus Deo: in fidei verò juſtificatione aliquid accipimus a Deo. Docuit hoc antè me Magnus Lutherus præfatione ad Galatas. Ex hoc enim fonte docet *nos paſſivè nos habere*, cum juſtificamur. Et contra, illos, qui per legẽ juſtificantur *ſe habere activè*. Apoſtolus Paulus idem docet. Cum enim tradit fidei juſtitiam, perſpicuè ſcribit ad Rom. 5.19. *Per unius obedientiam iuſti conſtituentur multi*. Sed qui alterius obedientia juſtus conſtituitur, ille in hac conſtitutione ſe habet paſsivè. Idẽ cum docet legis juſtitiam, perſpicuè ſcribit Rom. 10.5, *Moſes deſcribit iuſtitiam, quæ eſt ex lege* his verbis, *quod qui præſtiterit ea, viuet per illa*, ut manifeſtum ſit, eos, qui per legem juſtificantur, aliquid facere, & contra illos, qui per fidem juſtificantur aliquid pati. Ex his ego intrepidè pronuncio nos non juſtificari per fidem tanquam per opus noſtrum. Nam ſi per illam tanquam per opus noſtrum juſtificamur, tum etiam illi, qui per fidem juſtificantur, aliquid faciendo ſive præſtando aliquid Deo, juſtificantur. Atque ita juſtificatio fidei, & juſtificatio legis non toto genere, ſed tantum ſecundum plus & minus differunt, quod ſcilicet, illi qui per legem juſtificantur præſtando ſive faciendo totam legem, juſtificantur: qui verò per fidem juſtificantur, non faciendo & præſtando totam legem: ſed tantum faciendo ſive præſtando unum opus, nempe fidem, quæ tantum exigua legis portio eſt, juſtificantur. Non dubito quin cum *Harminio* ſentias, nos unico hoc opere, nempe fide, juſtificari. Quid enim aliud eſt actus fidei non metonymico ſenſu, ſed propriè acceptus, per quem *Harminius* nos juſtificari docet, epiſtola ad Legatum Palatini Electoris, quam opus noſtrum? Sed non potes hoc ulla conſequentia Syllogiſtica ex his tribus capitibus colligere. Si mihi non habes fidem, experire an tu hoc facere poſſis. *Sit quæſtio:* An fides propriè accepta nobis imputetur ad juſtitiam? *Maior*. Imputatur ad juſtitiam. *Minor*. Fides propriè accepta. *Medius*. Omnes iſtæ limitationes quas Apoſtolus his tribus capitibus ponit: eæque vel diviſim, vel conjunctim ſumtæ. In logicis es admodum exercitatus. Experire igitur, an oſtenſiuo ſyllogiſmo concludere poſſes hanc concluſionem. *Ergo Fides pro-*

priè

priè ſumta nobis imputatur ad juſtitiam. In theſi tua ponis fidem haberi a Deo pro tota legis juſtitia. Si igitur mavis hanc concluſionem inferre: Eſto *Major.* Habetur a Deo pro perfecta legis juſtitia. *Minor.* Fides propriè dicta. *Medius.* Omnes limitationes, quas Apoſtolus his tribus capitibus ponit, eæque vel conjunctim, vel diviſim ſumtæ. Ne te fruſtra fatiges, da nobis ſyllogiſmos oſtenſivos, & ſemper tene hanc concluſionem. *Ergo fides propriè accepta habetur a Deo pro perfecta legis juſtitia.*

Si in hac re ſerio laborabis, reperies re ipſa longè aliud eſſe argumentari quam rethoricari. Adhæc, Apoſtolus hoc 4. cap. diſertè diſtinguit inter fidem & juſtitiam: Comm. enim 13. docet promiſſionem hæreditatis ceſſiſſe Abrahæ per juſtitiam fidei. Equidem ſi fides eſſet ipſa juſtitia, per quam hæc hæreditas Abrahæ ceſſit, rectius dixiſſet per *juſtitiam fidem*, ut eſſet oppoſitio, quam per *juſtitiam fidei.* Opponit autem juſtitiam fidei, & juſtitiam legis. Ergo ut lex non eſt ipſa juſtitia, ita etiam fides non eſt ipſa juſtitia: ſed utraque videlicet lex & fides differt a juſtitia. Omnes ſciunt aliud eſſe legem, aliud juſtitiam. Omnes item ſciunt aliud eſſe fidem, aliud juſtitiam. Quod ſcribis Apoſtolum Paulum debuiſſe aliquot juſtitiæ affectiones recenſere, admirationem affert. An enim non fecit? An non ſcribit verſ. 13. *Abrahamo per juſtitiam fidei ceſſiſſe promiſſionem, ut hæres eſſet mundi?* An non ſcribit cap. 5. verſ. 9. *Nos ſanguine Chriſti juſtificari?* verſ. 10. *per mortem Chriſti Deo reconciliari?* verſ. 19. *Per unius obedientiam nos juſtos conſtitui?* Hæc legis, & audes ſcribere, quod nullas juſtitiæ Chriſti affectiones recenſuerit? Si in timore Dei hæc legis, facile videbis nos non eodem modo juſtificari fide, & ſanguine Chriſti. Nam utraque re videlicet ſanguine Chriſti, & fide nos propriè juſtificari, eſt impoſſibile. Aut enim propriè juſtificamur ſanguine Chriſti, & impropriè juſtificamur fide: aut propriè juſtificamur fide, & improprè juſtificamur ſanguine Chriſti. Elige quod voles. Si impropriè juſtificamur ſanguine Chriſti, rectè ſentit Socinus, & vana ſunt iſta omnia, quibus aſſerimus Chriſtum loco noſtro mortuum eſſe, & pro nobis ſufficienter ſatisfeciſſe. Hoc credo te non aſſeverare. Neceſſariò igitur, velis nolis, dicendum tibi eſt per metonymiam poni fidem pro obedientia Chriſti, cum illa juſtificari dicimur.

Bertius.

Specta etiam hanc limitationem: *Fides in Chriſtum reputatur in*

 juſtitiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

juſtitiam: Credentes in Chriſtum juſtificantur. Finge hic vocem fidei eſſe capiendam metonymicè, & tenta poſtea totius ſententiæ per proprios terminos Analyſin. Ego ſane quâ ſum ingenij tarditate, non poſſum aptam harum Enunciationum reſolutionem comminiſci, ſi fides propriè non ſumatur, ut neque iſtarum, *Fidem apprehendentem juſtitiam Chriſti reputat Deus in iuſtitiam : Fides in Chriſtum eſt iuſtitia noſtra coram Deo : Juſtificamur fide in Chriſtum*, & ſi quæ ſunt aliæ iſtiuſmodi in quibus Chriſto jungitur.

Lubbertus.

Illam phraſin *Fides in Chriſtum reputatur in iuſtitiam*, non facile in ſcriptura repereris. Nam ut nos in prima collatione oſtendimus: vix ponitur illa loquendi formula ſine additione perſonæ. Exempli graria, fides Abrahæ imputata eſt *ei* pro juſtitia. Eſt autem magna differentia inter has duas

Fides imputatur pro iuſtitia.
Fides imputatur Abrahæ pro iuſtitia.

Illa enim formula innuitur aliquid conferri fidei: hac verò oſtenditur aliquid conferri perſonæ. Sed de hac re in prima collatione nos fusè diſſeruimus. Iam verò illa, *Fides in Chriſtum reputatur credenti in iuſtitiam*, rectè reſoluitur, cum ex irregulari reducitur ad regularem. Hoc autem fit, cum illud quod per prædicatum vel per ſubjectum intelligitur, loco ſubjecti vel prædicati ponitur. In hac prædicatum propriè accipitur, ſubjectum impropriè: vel quod idem eſt, tropus eſt in ſubjecto, non in prædicato. Pone igitur loco ſubjecti, quod per hoc ſignificatur. Sed per hoc ſignificatur opus correlativum, quod eſt juſtitia Chriſti. Si igitur dixeris, *Juſtitia Chriſti reputatur nobis in iuſtitiam*, hoc eſt, *Juſtitia Chriſti reputatur eſſe iuſtitia noſtra*, rectè dixeris, & locutus fueris cum Scriptura Rom. 5. 19. *Unius obedientia iuſti conſtituentur multi*. Phil. 3. 9. *Ut inveniar in eo non habens meam iuſtitiam, ſed eam*, ſc. juſtitiam, *quæ eſt Chriſti per fidem*. Hæc obedientia Chriſti reputatur noſtra, cum nos illa conſtituimur juſti. Hæc item juſtitia Chriſti reputatur noſtra, cum nos illam habentes, invenimur in illo ſc. Chriſto. Antè notaui fieri non poſſe ut aliena juſtitia quis juſtificetur, niſi hæc illi imputetur. Ego, mi frater, hic nullam video difficultatem, & miror te virum tam doctum in re tam manifeſta hærere. Hæc propoſitio *Credentes in Chri-*

ſtum in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

ſtum juſtificantur, eſt regularis & planè ita intelligenda, ut verba ſonant. Tantum memineris credentes non propter *ſuum credere*, hoc eſt, propter opus ſuum, ſed propter obedientiam Chriſti, quam credendo accipiunt, juſtificari. Illa: *Deus reputat fidem in Chriſtum pro iuſtitia*, in Scriptura non reperitur: ſi tamen reſolvenda eſt, debet eodem modo reſolvi, ut illa prior. Non enim fidem propriè acceptam, ſed eius correlativum reputat nobis Deus pro juſtitia. Hanc: *Fides in Chriſtum est noſtra iuſtitia coram Deo*, non facile repereris in Scriptura. Deinde in ſubjecto eſt tropus. Fides enim ponitur pro eo, ad quod refertur, nempe pro juſtitia Chriſti, hæc enim eſt noſtra juſtitia coram Deo. Hæc: *Fide iuſtificamur*, a nobis ante explicata eſt. Hanc reſolutionem eſſe veram etiam ex illis, quæ tu ipſe ponis, colligi poteſt. Dicis enim nos *fide iuſtificari instrumentaliter*, hoc eſt, organicè. Sed ſanguine, ſive obedientia, ſive juſtitia Chriſti non juſtificamur inſtrumentaliter. Fide igitur impropriè; ſanguine propriè juſtificamur.

Bertius.

Ego ſanè in his omnibus nullam video difficultatem. Neque cogitando conſequi poſſum, qui fiat ut in re tam manifeſta hæreas.

Quia hoc negare eſt negare fœdus Evangelicum: Nam cum fœdus legale propter *adynamian* vel potius *uudenotæta* noſtram non poſſet a nobis impleri: inivit nobiſcum Deus aliud fœdus gratuoſum & ſuaue, ac verè Evangelicum de bono quidem eodem, ſed per diverſum modum, adipiſcendo. Bonum eſt vita æterta: modus eſt non præſtatio legis; hæc enim eſt impoſſibilis: ſed præſtatio conditionis poſitæ, quæ eſt credere in filium. Hoc eſt ergo fœdus Dei nobiſcum: *Crede in filium, & iustificaberis: Crede in filium & ſaluaberis: Crede in filium & habebis vitam æternam: Crede, in filium & remittentur tibi peccata*. Cum autem tu eam conditionem præſtas, quid ſequitur aliud, quam ut tu bonorum illorum omnium compos fias non merito tuo, ſed gratia eius, qui conditionem hanc gratioſam poſuit, qui Chriſtum ipſum gratis dedit, qui te gratis ad participationem lucis vocavit, qui tibi ſpiritum Chriſti ex gratia ſua dedit, qui hanc ipſam fidem gratis quoque imputat in juſtitiam.

Lubbertus.

Si hæc vera ſunt quæ tu ſcribis, tum vitam æternam per legem & Evangelium non modis toto genere diverſis, ſed modis ſecundum

plus & minus tantum differentibus conſequimur. Lex enim promittit vitam propter præſtationem omnium operum, quæ ipſa requirit: Evangelium verò eandem promittit propter unius tantum operis, nempe fidei præſtationem. Hoc totum deſumtum eſt ex Socino. Eius verba hæc ſunt de Chriſto Servatore fol. 210. *Sed quoniam Abrahamus obedientia ſua eam conditionem impleverat, quæ tacitè in præcedentibus Dei promiſsionibus continebatur, quod coram ipſo Deo ambularet, & eſſet perfectus, & quæ etiam expreſſa fuerat tum, cum nominatum fœdus cum ipſo Deus pepigerat, ut ſcriptum eſt ſtatim in initio cap. 17. eiuſdem libri. Idcirco propter obedientiam Abrahami ſe ea omnia, quæ ante promiſerat, iurabit Deus facturum.* Et pag. 392. *Quia fieri non poteſt quin ea, quæ a Ieſu præcepta ſunt faciat, & Dei verbum, qui per ipſum Ieſum locutus eſt, cuſtodiat is, qui Ieſum a mortuis excitatum a Deo fuiſſe ſibi perſuaſerit. Inde enim ſpem firmam concipit, ſe, ſi iſta præſtiterit, beatum atque immortalem ex Dei promiſſo futurum.*

Sed hoc pugnat cum Scriptura veteris & novi teſtamenti. Vt enim in veteri teſtamento ijs, qui univerſam legem præſtant, vita promittitur. Levit. 18. 5. *Cuſtodite ſtatuta & judicia mea, quæ faciet homo, vivet in ijs.* Ezech. 20. 11. *Dedi illis præcepta mea, & judicia mea, indicavi illis, quæ ſi fecerit homo, vivet propter ea.* Ita qui in novo teſtamento volunt vitam æternam faciendo opera conſequi, non poſſunt eam, niſi univerſæ legis præſtatione conſequi. Lucæ 10. 15. *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis? Ille verò reſpondens dixit. Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota cogitatione tua: Et proximum tuum ut te ipſum. Tunc ille dixit ei: rectè reſpondiſti, hoc fac, & vives.* Quin ſi quis vel leviſsimè a legis perfectione recedit, & illam in aliqua re violat in veteri & in novo teſtamento maledictionis reus pronunciatur. Deut. 27. 26. *Maledictus omnis qui non ſtatuerit verba legis huius faciendo illa.* Gal. 3. 10. *Execrabilis omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea.* Iaco. 2. 10. *Quiſquis totam legem ſervaverit, offenderit autem in uno, omnibus tenetur.* Hæc eſt doctrina eccleſiarum noſtrarum. Calvinus refutatione errorum Serveti fol. 902.

Vitam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Vitam Deus non uni vel alteri operi promittit, ſed totam legis obedientiam conplectitur. Qui fecerit hæc vivet in ipſis. Qui autem unum legis apicem fuerit tranſgreſſus in eum incumbit certa maledictio, ſecundum illud: maledictus omnis qui non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt. Iam verò hæc tua opinio doctrinam de gratuita juſtificatione prorſus evertit. Qui enim propter opus ſuum juſtificatur, ille non juſtificatur ex gratia. Rom. 11. 6. *Si ex operibus jam non ex gratia, alioqui opus iam non eſſet opus: Sin ex gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſſet gratia.* Evangelium verò promittit juſtitiam ex gratia. Rom. 3. 24. *Juſtificamur gratis, id est, eius gratia per redemtionem factam in Chriſto Jeſu.* Atque hoc ipſum docent eccleſiæ noſtræ. Calv. refutatione errorum Serveti fol. 903. *Cæterum quo ſenſu* pag. 304. *propter unum fidei actum Abraham iuſtum fuiſſe dicat, anxiè non requiro, niſi quod inde colligere promtum eſt, non ſecus de fidei iuſtificatione imaginari Servetum, quam ſi Deus præmium illud operibus noſtris rependeret. Quid enim aliud iuſtificari propter fidei actum?*

Hæc formula: *Crede in filium Dei, & habebis vitam æternam*, vera eſt. Paſſim etiam Scriptura dicit. *Qui credit in filium Dei habet vitam æternam.* Verum credens non propter ſuum credere, ſed propter obedientiam Chriſti, quam credendo ſibi applicat, juſtus conſtituitur apud Deum. Apud omnes eccleſias noſtras in confeſſo eſt, correlativum fidei, hoc eſt, juſtitiam ſive obedientiam Chriſti juſtificare. Apud eaſdem in confeſſo eſt, nos fide apprehendere hanc Chriſti juſtitiam. Tu utrumque in prima epiſtola poſuiſti. Fides igitur vel te teſte eſt inſtrumentum juſtificationis noſtræ. Sed inſtrumentum & inſtrumentatum, vel ut in genere dicam, relativum & eius correlativum habere idem univerſale *pathos* eſt ſimpliciter impoſſibile. Sed juſtificare eſſe univerſale *pathos* juſtitiæ Chriſti, nos ante demonſtravimus. Ergo hoc ipſum eſſe univerſale *pathos* fidei, eſt ſimpliciter impoſſibile. Adhæc univerſale *pathos* juſtitiæ Chriſti poſſe propriè prædicari de fide noſtra, eſt ſimpliciter impoſsibile. Sed juſtificare eſt univerſale *pathos* juſtitiæ Chriſti. Poſſe igitur illud propriè prædicari de fide, eſt ſimpliciter impoſsibile. Ipſe fateris nos organicè juſtificari fide. Sed nemo rectè dixerit nos organicè juſtificari juſtitia Chriſti. Velis igitur nolis, concedere neceſſe eſt juſti-

ficare prædicari impropriè de fide. Hæc tibi ſolvenda ſunt, vir præſtantiſsime, ſi in ſententia perſeveras.

Quod addis non ex noſtro merito, ſed ex gratia Chriſti, qui hanc gratioſam conditionem fœderi appoſuit, etiam ex Socino deſumtum eſt. Sic enim ille pag. 128. *Non quod fides dignitate ſua & merito hominem in Dei conſpectu a peccato abſolvat, ſed quia eſt neceſſe ad gratuitam delictorum veniam a Deo conſequendam, ut illi fidem habeamus.* His adde, quæ nos in prima collatione ex eodem Socino & Oſtorodo ad hanc rem docendam attulimus.

Deinde eſt falſum. Nuſquam enim Deus fidem noſtram ad iſtam dignitatem evexit, ut illius unicus actus nos júſtificet: vel ut illa ſola habeatur a Deo pro perfecta legis juſtitia. Nos hoc Servetianum commentum in prima collatione abundè refutavimus.

Quod denique dicis, *qui hanc ipſam fidem gratis imputat ad iuſtitiam*, nos ſæpe oſtendimus falſum eſſe. Poteſt enim hunc ſenſum habere, quod Deus fidem gratis habeat pro perfecta juſtitia: atque in hunc modum credo te intelligere. Nos in hac, & prima collatione oſtendimus hoc totum eſſe Socini & Serveti commentum. Ad ea, quæ ante ſcripſimus, addimus ex Calv. Refut. errorum Serveti fol. 903. *Vt tamen paulò contradicenti aliquid concedat, dicit prius ſuum credere Abrahæ imputatum fuiſſe ad iuſtitiam: ſicut ſi Princeps apud ſe animum ſui militis cogitans, ex gratia & privilegio reputet ei conatum bonum pro re confecta.*

Nos in prima collatione oſtendimus ſatisfactionem Chriſti eſſe ſupervacuam & minimè neceſſariam, ſi per fidem noſtram, tanquam per perfectam legis juſtitiam inhærenter & perfectè juſti ſumus coram Deo. Quid enim proderit Chriſtus ijs, qui perfectè juſti ſunt? Equidem immota eſt regula: *Sanis non opus eſt medico.* Diſcipuli *Harminij* nobis confirmarũt ſuum præceptorem non longè abeſſe ab hac opinione. Conſtanter enim confirmarunt nobis, illum in publica diſputatione, cum de hac re diſputaret, interrogaſſe objicientem; *ubinam ſcriptum eſſet Chriſtum ſatisfeciſſe pro nobis?* Tibi ipſi tandem deveniendum erit eò, ut cum Serveto, Socino, & Oſtorodo neges ſatisfactionem Chriſti: ſi tibi ipſi conſtabis, & non a te ipſo diſſenties. Quomodo enim tueberis juſtificare eſſe univerſale *pathos* fideì, quod in prima epiſtola poſuiſti; ſi non negabis nos propriè & per ſe juſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

ſe juſtificari per gratiam ſive per obedientiam Chriſti? Iuſtificare enim eſſe univerſale *pathos* fidei, & hoc ipſum propriè & per ſe prædicari de juſtitia ſive obedientia Chriſti, eſt ſimpliciter impoſsibile.

Bertius.

Itaque negare fidem & *tò piſteuein* ab Apoſtolo propriè, hoc eſt, pro fide ipſa, & actu fidei uſurpari eſt negare fœdus Evangelicum, negare obſignationem eam, quæ nobis in baptiſmo a Deo fit, eſt denique negare Theologiæ naturam eſſe practicam, & ad finem per media practica pervenire. Quod ſi ſecus videtur velim fœderis iſtius rationem ex te diſcere.

Lubbertus.

Contradicis tibi, & probas noſtram ſententiam, tanta eſt vis veritatis. Nam ſi credere eſt proprius actus fidei, tum juſtificare eius proprius actus non eſt. Eſt enim abſurdum dicere unum habitum animi habere duos actus, eoſque proprios. Deinde ſi tò credere eſt proprius actus fidei, tum tò credere propriè prædicatur de fide, & de eadem tò juſtificare prædicatur impropriè. Exempli gratia: ridere eſt proprius actus hominis. Ridere igitur propriè prædicatur de homine. De eodem alienus actus, ut latrare, gannire, &c. prædicatur impropriè. Nos antè oſtendimus totum credere eſſe in fide, & extra fidem non reperiri. Oſtendimus item totum juſtificare eſſe in juſtitia Chriſti, & extra juſtitiam Chriſti non reperiri, ut nemo niſi qui ſciens & volens errare vult, ignorare poſsit tò credere propriè prædicari de fide, & de eadem tò juſtificare prædicari impropriè. Iuſtitia, quæ nobis obſignatur in baptiſmo eſt eadem cum illa, qua juſtificamur. Sed fides non eſt illa juſtitia, quæ nobis in baptiſmo obſignatur, Ergo fides non eſt illa juſtitia, quâ juſtificamur. Theologiam eſſe ſcientiam partim practicam partim theoreticam rectè docet Thomas 1ª. 1æ. quæſt. 1. artic. 4. Sed non quia Theologia eſt ſcientia practica nos noſtro opere, videlicet fide propriè dicta juſtificamur. Ipſe ſine riſu non poteris intueri hanc argumentationem

Theologia eſt ſcientia practica.
E. nos proprio opere noſtro, vid. fidei noſtræ actu iuſtificamur.

Specificam differentiam inter juſtitiam legalem & Evangelicam

 brevitet

breviter & perſpicuè explicat Zach. Vrſinus his verbis. *Lex promittit vitam in ſe juſtis, ſeu cum conditione propriæ juſtitiæ, & perfectæ obedientiæ a nobis præſtitæ.* Lev. 18. 5. *Qui fecerit ea vivet in eis.* Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata. Evangelium eandem promittit juſtificatis fide in Chriſtum, ſeu cum conditione juſtitiæ alienæ, nempe Chriſti per fidem nobis applicatæ.* In Catecheticis cap. de Euangelio, quæſtione 4. Huic explicationi nos ſubſcribimus.

Bertius.

Neque verò periculum eſt ne Chriſti merito aliquid hoc pacto derogetur, aut in præcipitium incidamus Sociniani erroris. Nam primum fides iſta meritum Chriſti reſpicit: atque hoc modo verum eſt, quod dicitur: Fides juſtificat non per ſe, ſed correlativè, quatenus nimirum apprehendit Chriſtum, eiuſque juſtitiam. Secundò Chriſtus hoc ipſum meritus eſt, ut qui in ipſum credit, habent vitam æternam ex gratia. Tertiò Chriſtus Iudex non aliter abſolvit credentem peccatorem, quam reſpiciens in mortem & obedientiam filij ſui, in quo ipſe nobis placatus eſt.

Lubbertus.

Quicquid de juſtificatione noſtri tribuitur operi noſtro, hoc detrahitur merito Chriſti. Deinde non eſt periculum ut incidas in errores Socini: nam jam dudum incidiſti. Det tibi Deus ut ex illis emergere, & in viam veritatis redire poſsis. Cæteris omnibus confirmas noſtram ſententiam, & deſtruis illa omnia, quæ hucuſque diſputaſti. Nam ſi fides meritum Chriſti reſpicit, & non per ſe, ſed correlative juſtificat, neceſſariò ſequitur, illam non accipi propriè, cum nobis ad juſtitiam imputatur, aut cum nos illa juſtificamur.

Vide.

Fides non per ſe, ſed relativè iuſtificat nos.
Ergo fides non propriè accipitur, cum nobis ad iuſtitiam imputatur, aut cum nos illa iuſtificari dicimur.

Hoc argumentum eſt immotum, neque ulla ſophiſtica infringi poteſt. Et ob eam cauſam errant, qui dicunt fidem haberi a Deo pro perfecta legis juſtitia. Errant etiam qui dicunt, juſtificare eſſe univerſale *pathos* fidei. Errant etiam qui dicunt, fidem eſſe illam juſtitiam,

ſtitiam, qua coram Deo juſtificamur. Errant denique qui dicunt fidem accipi propriè, non relativè in his propoſitionibus:

Fides imputatur credenti ad iuſtitiam.
Homo iuſtificatur fide.

Bertius.

Sed manum de tabula: urget enim tabellarius. Hoc unum addam: verum eſſe quod de Paræo ſcribis, mihique inſpicienti id ipſum innotuiſſe. Velim igitur illud omne quod de ipſo poſueram inducas & expungas. Et tamen nuſquam ille licet animoſiſsimus ſit & fortiſsimus adverſus Socinum, veritatis *prymachos*, ſententiam iſtam oppugnat aut damnat, neque quiſquam quod ſciam noſtrorum Theologorum, Vale in Chriſto mi Domine, & frater honorande. Dat. Lugd. Bat. Prid. Cal. Octob. ANNO 1608.

Lubbertus.

Gaudeo quod errorem in locis ex Paræo a te allegatis agnoveris. Porrò Paræum & doctores noſtros palam rejicere Socini, Serveti, & Oſtorodi opinionem, ex illorum teſtimonijs, quæ in prima epiſtola annotavi, quilibet videre poteſt. Quin ſi hac in re ſtabis Davidis Paræi, atque adeo totius ſcholæ *Heydelbergenſis* judicio, age mittamus hanc controverſiam ad illos, ut iſti dijudicent, uter noſtrum erret? Ad me quod attinet, ego me in Paræi & *Academiæ Heydelbergenſis* judicio libenter ſubmitto. Vale vir præſtantiſſime. *Fran.* ANNO 1608.

QVARTA EPISTOLA LVBBERTI.

S. P. D. In quam partem accipere debeam tuum, vir præſtantiſſime, ſilentium, ambigo. Ego ſanè delectatus ſum tuo colloquio, & peto ut in cepta collatione pergere velis. Sed heus tu, ſtipulatus

 pulatus

pulatus eras a me ſilentium, hoc ipſum ego bona fide præſtiti in hunc uſque diem, neque ulli mortalium tuas literas oſtendi. Verum venerunt iſtinc ad nos tres juvenes illi potuerunt mihi narrare, quid ego ad te ſcripſerim. Quidam etiam viri docti ad me ſcripſerunt te dediſſe meas literas Doctori *Harminio* & alijs viris doctis legendas, & petiverunt, ut & ego tuas literas, & meas ad illas reſponſiones ſibi legendas dare velim. Non potui autem hactenus aſſentiri. Verum cum illi me valdè urgeant, & ego non habeam, quo me excuſem, peto ut hoc tua pace facere poſſim. Si aſſentiris ſcribe id mihi: ſi nihil reſpondes intra menſem ab eo tempore, quo has acceperis, erit mihi tuum ſilentium pro permiſsione ſive conſenſu. Vale clariſsime. *Franicæ* 10. Martij ANNO 1609.

PETRI BERTII
AD QVARTAM EPISTOLAM SIBRANDI LVBBERTI RESPONSIO.

CL. D. Doctor. Silentium meum occupationibus meis imputes velim; alioqui non minus mihi iucundum fuiſſet reciprocare ſcriptionem, quam tibi hoc ipſum gratum fuiſſe intelligo. Et erit forte cum licebit liberius. Nunc hoc abs te interea contendo, ut non tam ſpectes quid dicatur vulgò, quam quid ſecundum Scripturas dici debeat. Quanquam tempus aliquando fuerit cum de iustificatione aliter publicè doceretur, quam nos palam docemus. Quid D. Lutherum impulerit ut vulgatam ſententiam deſeret (puto legendum deſereret) *Quid ut iſtam conciperet, quam tamen*

men nullus ſcripturæ locus apertè inſinuat? Quâ occaſione id factum? Quibus gradibus & momentis? Quo pondere rationum? Cur ipſius cogitationes in eam partem devolutæ non ſint, quæ altera theſeos parte a nobis ponitur? Et quid ſi fuiſſent devolutæ: quid ex eo fuiſſet ſecuturum incommodi? Cum ea non minus Pontificiorum merita ſubvertat, atque ea, quam ipſe ſtatuit. Nam tunc quidem infame Socini nomen nondum auditum fuit. Quæſo iſta ſerio expendas, poſtea dijudices, quid ego ſupplicij meritus ſim, qui utramque ſententiam conatus ſum conciliare: ſuffragante initio etiam te, poſtea (neſcio ſatis gravi de cauſa) refragante. Silentium ego abs te ſtipulatus ſum, & tu illud te præſtiturum recepiſti. Intererat enim id fieri ne in invidiam traheretur diſquiſitio, pronis admodum pleriſque in partem deteriorem. Itaque adhuc perſto, & idem caveo, ſtipulorque, nec fidem tuam laxo: ſed moneo, videris, ne facilitas tua & obſequium mihi noxæ ſint. Et tamen (ut omittam, quod ad me aliena manu ſcripſiſti) inſuſurrarunt mihi quidem viſam a ſe reſponſionem tuam ad priorem meam epiſtolam, quam qui legit, truncatas meæ quoque epiſtolæ partes legat neceſſe eſt. Bonis autem illis viris, qui iſta curioſè requirunt in res veſtras, urgentque inſpectionem rerum obſignatarum, habes quod reſpondeas: Facere ipſos præter officium: te fide data prohiberi, nihil ipſis nihil publicè inſpectionem prodeſſe poſſe. Plura alia ſuggeret tibi prudentia tua. Quod menſtruum ſpatium mihi præfigis, ignoſce verum ingenue dicenti, id mihi videtur parum eſſe liberale & contractum ſapere mercatorum ſolutionem ad certum diem exigentium. Ego autem nihil debeo tibi, niſi quod affectu & iudicio tuus fui ſemper, & ſum adhuc in Domino. Lugd. Bat. 31. May Anno 1609.

SIBRANDI LVBBERTI AD QVARTAM EPISTOLAM PETRI BERTII RESPONSIO.

TRiſtitiam mihi attulit epiſtola tua, cum quia oſtendit quantopere commotus ſis Socini ſcriptis, tum etiam quia innuis periculum tibi imminere. Illud eſt graviſsimum. Nam & præſentis vitæ ſtatum turbat, & æternæ pervertit.

Putas Lutherum caſu quodam ad iſtam opinionem deveniſſe: ſed erras. Ipſe enim Lutherus paſsim ſcribit, ſe primum vi ſacrarum literarum deinde authoritate *Auguſtini* & *Bernardi* iſtuc deveniſſe.

Addis illam nullo perſpicuo ſacræ ſcripturæ teſtimonio inſinuari. Sed lege caput 53. Eſaiæ. Inquire quid ſacrificia veteris teſtamenti adumbrarint. Expende totum novum teſtamentum paſsim & ubique docere Chriſtum dediſſe animam ſuam redemtionis prætium pro nobis. Deum propoſuiſſe Chriſtum ut eſſet placamen per fidem in ſanguine ipſius ad declarandam ſuam juſtitiam. Nos juſtificatos eſſe ipſius ſanguine. Reconciliatos eſſe Deo per mortem ipſius. Nos conſtitui juſtos per obedientiam ipſius. Ipſius ſanguinem nos mundare ab omnibus peccatis. Et non dices, opinor, noſtram ſententiam, quâ dicimus nos aliena juſtitia, nempe Chriſti juſtificari, nullo perſpicuo teſtimonio ſacrarum Scripturarum inſinuari. His adde fidem eſſe hypoſtaſin rerum ſperandarum, hoc eſt, facere ut nobis exiſtant res ſperandæ. Non dices, opinor, fidem eſſe ipſam rem ſperandam; nempe juſtitiam Chriſti, quâ coram Deo juſti conſtituimur.

Infeliciter conatus es hanc ſententiam cum blaſphemijs Socini conciliare. Non enim magis hæc cum illa, quam tenebræ cum luce, & mendacium cum veritate conciliari poteſt. Socinus enim docet

nos ob

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

nos ob actum fidei, hoc eſt, ob opus noſtrum juſtificari. Scriptura verò docet nos ob actum Chriſti, hoc eſt, ob ſolutionem pretij, ob redemtionem a Chriſto præſtitam abſolui, vel ob obedientiam a Chriſto præſtitam, juſtos conſtitui.

Deinde Socinus habet ſolutionem lytri a Chriſto pro nobis factam, hoc eſt, ſatisfactionem pro peccatis noſtris a Chriſto præſtitam pro fabula, imò pro blaſphemia, neque ullum alium Servatorem agnoſcit, quam exemplarem. Tu quidem hoc nondum facis: ſed cum dicis juſtificare eſſe univerſale *pathos* fidei; & fidem noſtram haberi a Deo pro perfecta legis juſtitia, noſque propter unum fidei actum perfectè juſtos conſtitui apud Deum: iudica ipſe, quanto intervallo abſis a Serveti, Socini, & Oſtorodi blaſphemijs.

Tuas theſes ego initio probavi, fateor, ſed non intellectas. Etſi enim varia de vobis audiveram; tamen nunquam potui mihi perſuadere damnatam Serveti, & Socini hæreſin ſub iſtis latere. Neque unquam credere volui quicquid alij dicerent, vos cum Serveto, & Socino ſentire. Et ut uno verbo omnia dicam, nunquam crediſſem hæc vera eſſe, niſi tuas literas legiſſem, & tuam ipſius manum vidiſſem. Nam quicquid alij dicerent, & ad me perſcriberent, putabam calumniam eſſe, quâ *Harminium* & te ex inconſiderato zelo gravabant. Quin nonnunquam excuſavi te & *Harminium*, dixique tuas theſes commodè explicari poſſe. Addidi illos, qui mecum de vobis loquebantur, tranſgredi metam charitatis, non intelligere illos veſtram ſententiam, & malè facere, quod his narrandis vos aliorum odijs exponerent. Rogaui etiam ut hæc ſilerent, & judicia ſua ſuſpenderent, dum vos plenius veſtram ſententiam declararetis: ut manifeſtum ſit me tuas theſes malè intellectas, & in alienum ſenſum (dum veſtro honori velificari volebam) a me detortas approbaſſe: Serveti verò & Socini hæreſin probaſſe nunquam. Cum mea reſponſio ad Socinum (quæ parata fuit, priuſquam tu ad me ſcriberes) prodibit, videbis ipſe, me verum ſcribere, & in ſententia mea nil mutaſſe.

Hunc judicij errorem (præſertim cum ex ſincero erga vos amore, & benevolentia profectus ſit) non debes mihi tam ſæpe exprobrare. Malo ego benè ſentiendo, & omnia in bonam partem interpretando impingere; quam fratres ſiniſtris opinionibus gravando, & illa, quæ ambiguè dicta ſunt exaſperando aberrare. Cæterum indignè moleſtèque fero te Socini libro eſſe ſeductum. Eſt enim in

toto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

toto iſto libro nihil ſolidum. Suſpende, quæſo, judicium tuum, dum meam reſponſionem legas. Quis enim ſcit an Deus te me a opera in lucem reducere velit? Quod ad periculum, cuius meminiſti his verbis: *Quid ego ſupplicij meritus ſum?* Res tota eſt mihi incognita. Nam non ſcio, quid iſtic geratur. Nemo enim de ea re quicquam ad me perſcripſit. Quia verò hoc loco ſunt res tuæ, præſtabo tibi adhuc ſilentium. Hoc habe pro certo me tuum nomen nemini nominaſſe, neque tuas literas ulli mortalium oſtendiſſe. Meas reſponſiones, quia prolixiores erant, dedi alijs deſcribendas: ſed ita ut nemo ex me intellexerit, illas ad te ſpectare. Qui iſtinc venerunt juvenes, ſignificarunt mihi, ſe iſtic intellexiſſe de meis ad te ſcriptis literis, & potuerunt etiam ex illis quædam recitare. Sed ego ad illos nihil dixi, ex quo potuerunt colligere, me illorum narrationi fidem adhibere. An alijs dixerint ignoro: Non dubito tamen quin fecerint, & hoc videor mihi ex tuis literis colligere poſſe. Puto igitur totam hanc rem niti fictionibus & divinationibus. Vt ut ſit nemo tibi hoc tempore ex tuis ad me ſcriptis literis moleſtiam parabit. Precor Deum, ut tibi veritatem ſuam patefacere velit. Vale vir præſtantiſsime. *Fran.* ANNO 1609. 9. Iulij.

QVINTA EPISTOLA
PETRI BERTII.

QVid ergo dilecte in Chriſto frater, poſt tot totieſque iteratam ſcriptionem nondum tibi in mentem venire potuit, ut æquo trutinæ examine ſententiam meam expenderes. Ego verò lectione iſtarum literarum, quas nunc tandem de manibus depono, ita ſenſi me commoveri, ut parum abfuerit, quin eas protinus conſciderim. Video me abs te haberi pro deſperato. Iam ſcilicet conclamatum de . . . . Indicas me Socini ſententiam amplecti. Somnias etiam aliquid de ſupplicio. Denique ad præ-

ad præſtandum ſilentium oſtendis te neſcio qua ſtatus mei commiſeratione potius, quam fide data commoveri? Profectò obſtupeſco cum iſta lego. Hæccine in virum Chriſtianum ſacroſanctæ Theologiæ doctorem cadere? Addo etiam amicum & fratrem? Quid cogitem planè neſcio. Profectò neceſſe eſt aut omnia apud vos lemurum, & ſpectrorum plena eſſe, vel te egregiè Sabinum, qui quod velis ſomnies. Quid rationis adfers ô homo ad minimum apicem epiſtolæ ſuperioris meæ? Oſtende, oſtende, inquam, quænam res Lutherum moverit ut iſtam ſententiam conciperet? quando id factum? quâ occaſione? quibus momentis? quo Scripturæ colore? cur ipſius cogitationes in alteram partem devolutæ non ſint? Et quid ſi in eam partem fuiſſent devolutæ, quæ poſteriori theſeos meæ parte proponitur, quid ex eo incōmodi ſecuturum fuiſſet? Cum neque pauci neque ignobiles Theologi ſententiam iſtam ſecuti ſint, & nemo unquam oppugnarit, nedum ut damnare aggreſſus ſit. Nam quæ tu quidem ſcribis de merito Chriſti, ſciui iam pridem, imò & probo, neque oppugnari poſſe arbitror, niſi ab eo qui Chriſtianum nomen omne evertere inſtituat. Cæterum quid iſta pros epos? *Plane videtur mihi id fieri quod in proverbio eſt:* Faber cadit, cum ferias fullonē: *tu enim ais, quod aio. Non autem oppugnas id, quod tantopere inſectaris. Quis dabit mihi irrepere in mentem illam tuam, & quam hic uncialibus literis depictam quæſtionem vides, eam animo tuo inſculpere, & poſtea reſponſionem ingenuam atque liberalem exſculpere?*

Quum Deus in fœdere ſuo Chriſtum nobis offerat, cuius ſanguis eſt lytron *noſtrum, noſque purgat ab omnibus peccatis noſtris: idemque a nobis exigat fidem, quam dicit imputari nobis in iuſtitiam. Quidnam illud ſit, fides credentis imputatur ei in iuſtitiam?*

Reſponde ſi quid tibi oris eſt aut cordis. Quid detrectas, aut tergiverſaris? Quid ſuſpiciones fingis? Quid ſpectra & portenta, excluſo omni ingenio & liberali examine, omnique chri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

ſtiana charitate, imaginaris? Quid diducis ſupercilium? Quid dividis quæſtionem, & partem confeſſam fingis me negare, partem dubiam ſubterfugis? Non hic quæritur an Chriſtus ſatisfecerit pro peccatis noſtris? Non, an verus Deus ſit, verus homo, & utrumque unus? Agnoſco, imò iſta corde credo, & ore confiteor. Ille enim nos purgavit 1. Ioan. 1. 7. lauit nos Apoc. 1. 5. emit nos 2. Pet. 2. 1. Apoc. 5. 9. & 14. 4. Act. 20. 28. Et quidem pretio 1. Cor. 6. 20. & 7. 23. Non auri vel argenti, ſed ſanguinis ſui pretioſiſſimi 1. Pet. 1. 18. Itaque *periepoiæſe hæmas* Actor. 20. 28. Ipſe eſt *Lytrootæs* Matth. 20. 28. Marc. 10. 45. Ille nos *elytrooſe* Luc. 24. 21. Titi 2. 14. Sanguine ſuo Epheſ. 1. 7. Col. 1. 14. Apoc. 5. 9. Ipſe eſt *hilaſmos* pro peccatis noſtris 1. Ioan. 2. 2. & 4. 20. *hilaſtærion* Rom. 3. 25. Sacerdos eis *tò hilaſkeſtai tas amartias tuu laun* Hebr. 2. 17. *Hæc ego omnia agnoſco, & ſi quid eſt eiuſmodi, neque ſpem ullam ſalutis in alia re repono. Proinde non eſt, quod hoc doceas, aut de Sociniani nominis aſpergine invidiam mihi facias. Sed hoc quæritur, cum iſta ita ſe habeant, hoc eſt, cum Deus nobis ex ſua parte talem dederit Chriſtum, qui ea præſtitit, quæ iam deſcripſi, idemque a nobis exigat fidem, eamque ex noſtra parte præſtare velit, pronuncietque ſe eam imputaturum nobis in iuſtitiam: Quidnam illud ſit;* fides credentis imputatur ipſi a Deo in juſtitiam? *Satiſne etiam clarè hoc dixi? Satiſne emphaticè? Vtinam non calamo & atramento hic utar, ſed ipſo Solis radio, quo deterſis lemis oculos illos tuos perſtringam ſemel, ut ſi nondum conglaciarunt, videas liquidè, quidnam illud ſit, quo de agitur. Euigila tandem, mi frater, expergiſcere, excute altum illum, qui te alienis actum præiudiciis occupat ſoporem. Expende, quid quæratur alias vel nunquam aſſenſurus vel certaturus cum umbra, & ſemper ictu irrito adverſarium petiturus. Si iterum mihi cramben iſtam proponis toties recoctam, toties remiſſam, non iterabo ſcriptum, ſed ſilentium mihi plus quam Amyclæum imperabo. Lucubrationes tuas adverſus Socinum, valde vi-*

de videre haueo. Dignus enim eſt in quem & tu, & optimus quiſque, cui id divinitus conceſſum, quam accuratiſſime ſcribatis. Tametſi hactenus ille mihi lectus non eſt, magiſque cognitus, ex epiſtolis tuis, quam ex propria inſpectione. Abſtinui enim conſultò ut bona conſcientia poſſem declinare invidiam, quam tu mihi non ſemel feciſti. Vale reverende vir, Domine & frater honorande a tuo qui te amat & æſtimat Anno 1609.

SIBRANDI LVBBERTI AD QVINTAM EPISTOLAM PETRI BERTII RESPONSIO.

S. D. P. Quas tu dilectè in Chriſto frater 3. Quintilis dediſti, illas ego 10. Septemb. accepi. Hæc eſt cauſa, quare tam tardè reſpondeam. Te illa in quibus a nobis diſſentis, ex Socino hauſiſſe credo, exiſtimo etiam me hoc ſatis evidenter in prioribus meis literis oſtendiſſe. Quædam enim loca deſcripſi ex Socino, cum quibus iſta congruunt, ut qui iſta leget, ſine errore judicare poſſit, quod illo magiſtro uſus ſis.

Quod periculi memini in poſtremis meis literis, propterea factum eſt, quod tu tale quid in tuis penultimis poſueras. Verba tua hæc ſunt. *Quid ego ſupplicij meritus ſim?* Alioquin ego planè ignarus ſum iſtarum rerum, quæ iſtic geruntur.

Quid Lutherum moverit ut illam ſententiam amplecteretur, non mihi neceſſe fuit dicere. Non enim Lutheri authoritate tuemur ſententiam noſtram. Et tamen oſtendi cauſam, quare a monachali doctrina deſciuerit Lutherus, & hanc, quæ vera eſt, amplexus eſt.

Tu hic Lutheri ſententiam de fide juſtificante, quam omnes eccleſiæ noſtræ ſequuntur, palam rejicis. Facit idem *Harminius*, cum docet fidei actum, hoc eſt, credere imputari ad juſtitiam, idque pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

prio ſenſu, non metonymicè. Et tamen *Harminius* unà cum N. jurant, ſe neminem noſſe in toto Belgio, qui in recepta doctrina aliquid mutare velit, quemadmodum ego in prima epiſtola oſtendi. An qui ipſum caput doctrinæ, quod eſt de noſtri coram Deo juſtificatione convellere conatur in recepta doctrina nihil mutare cupit? Qui hoc legunt poſſunt expendere, quid illud ſibi velit, quod de concordia cum omnibus eccleſijs ineunda tantopere jactatis. Nam qui primarium doctrinæ noſtræ caput convellit, is neque cum eccleſijs Augu ſtanæ confeſsionis, neque cum ijs eccleſijs, quæ Helveticam, Gallicam, & Belgicam confeſsiones ſequuntur, neque cum eccleſijs Anglicanis, Scoticis (nam hæ omnes hac in re conſentiunt) concordiam & pacem colere poteſt. Dic igitur quænam ſint illæ eccleſiæ, quarum amicitiam tantopere expetitis? vel cum quibus deſideratis tantopere pacem & concordiam colere? Dic ex animi tui ſententia, An non ſint Samoſatenicæ? Nam præter has nullus cœtus eſt, qui hac in re idem vobiſcum ſentit.

Intolerabile viſum eſt quod ſcribis, nullum Scripturæ locum apertè inſinuare eam ſententiam, quam Lutherus amplexus eſt. Protuli itaque quædam Scripturæ teſtimonia; ex illis duo repetam. Rom. 5.9. *Iuſtificati eius ſanguine*. Et Rom. 5. 19. *Per unius obedientiam juſti conſtituentur multi*.

Dices te hæc eadem nobiſcum docere. Ore ſc. & voce: re ipſa doces contrarium. Noli hic tumultuari, ſed ſedato animo reminiſcere, quod prima epiſtola ſcripſiſti: Iuſtificare eſſe univerſale *pathos* fidei. Verba tua hæc ſunt. *Præterea cum univerſalis affectio per illud neceſſario conſtituatur, quo primum abjuncto tollitur prædicatum (1. poſt. 5.) efficitur neceſſariò poni juſtificationem poſita fide, quandoquidem ea ſublata tollitur omnis juſtificatio.* Hinc ſic colligo.

Vniverſale pathos fidei eſt totum in fide, & extra fidem non reperitur.
Iuſtificare eſt univerſale pathos fidei.
Ergo iuſtificare eſt totum in fide, & extra fidem non reperitur.

Huius majorem non negabis, ſat ſcio. Minorem ipſe poſuiſti. Concluſionem igitur (etſi falſa eſt, & impia) negare non potes. Sic igitur progredior.

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Quod eſt totum in fide, & extra fidem non reperitur, hoc non eſt in ſanguine & obedientia Chriſti.
iuſtificare eſt totum in fide, & extra fidem non reperitur.
E. iuſtificare non eſt in ſanguine & obedientia Chriſti.

Huius majorem ſat ſcio, non negabis. Minor eſt concluſio præcedentis Syllogiſmi. Et concluſionem igitur hanc concedere debes. Sed ſi juſtificare non eſt in ſanguine, neque in obedientia Chriſti, malè facit Paulus, cum nos eius ſanguine juſtificari, & eius obedientia juſtos conſtitui aſſerit. Concilia hæc, mi frater. Si facere nequis, (certò autem ſcio te facere non poſſe) tum ſummo jure ſcribere poſſum, te hæc ore quidem mecum affirmare, re ipſa verò eadem negare. Niſi forte hæc duo loca de exemplari quadam juſtificatione cum Socino explicare velis.

Vide, Scriptura dicit, ſanguinem ſive obedientiam Chriſti eſſe illam rem, quâ coram Deo juſtificamur. Rom. 5. 9. *Juſtificamur ſanguine*. Rom. 5. 19. *Unius obedientia juſti conſtituentur multi*. Tu dicis fidem noſtram eſſe illam rem, quâ coram Deo juſtificamur. Aut igitur dicendum tibi erit, Scripturam juxta Socinum de exemplari juſtificatione intelligendam eſſe, cum dicit, nos eius ſanguine juſtificari, & unius obedientia juſtos conſtitui. Aut eſſe duas res, hoc eſt, duas diverſas juſtitias, eaſque integras & perfectas, unam in Chriſto, alteram in nobis inhærentem, quibus coram Deo juſtificamur. Expende hanc reſponſionem diligenter, quod ſi facies, pudebit te tuæ, quâ in hac poſtrema epiſtola uſus es, pervicatiæ.

Quod dicis non paucos neque ignobiles Theologos hanc tuam ſententiam ſequi, admirationem adfert. Ego ſanè non ſcio quinam ſint illi non pauci, & non ignobiles Theologi. Niſi forte Abailandus de quo eſt apud Bernardum epiſt. 190. Et noſtro ſæculo Servetus, Lelius, & Fauſtus Socini, Oſtorodus & Eniedinus ſint illi non pauci & non ignobiles Theoligi. Si hi non ſunt iſti, doce me quæſo, qui nam illi ſint ut diſcam illos cognoſcere. Fortaſſe illorum lectio attulerit mihi aliquid utilitatis & commodi. Quod ſcribis neminem oppugnare doctrinam iſtam, oſtendis te in ſcriptis doctorum noſtrorum non admodum eſſe exercitatum. Calvinus enim contra Servetum, & in epiſtolis ad Lelium, Socinum. Vrſinus in Catecheticis. Caſmannus in Chriſtianiſmo. Paræus paſſim in commentarijs ſuis eam ex profeſſo oppugnant.

Si rhetoricationes quas addis, antè viginti quinque annos legiſſem, potuiſſent illæ me commovere, & ſine dubio commoviſſent. Nunc hæc dies aliam vitam affert, alios mores poſtulat.

Deinde quid attinet affectus & morbos animorum noſtrorum alijs patefacere? An ut rideant nos? An verò ut illos noſtri miſereat?

Dicis parum abfuiſſe quin meam epiſtolam conſcinderes. Sed hoc tibi per me licet. Poſt quam enim ad tuas manus pervenerunt, potes illis facere quod libet. Neſcio tamen, quare hoc ſcripſeris, & judica ipſe, quid quis inde colligere poſsit. Ego certè tuas literas diligenter cuſtodio, & dabo operam, ne vel minima pars illarum pereat.

Tandem ad rem accedis, & quæris quidnam illud ſit: Fides credentis imputatur ei ad juſtitiam? De hac re egi literis antepenultimis, & oſtendi fidem in hac propoſitione non accipi propriè, ſed vel correlativè, vel metonymicè. Tu idem vi veritatis victus affirmaſti.

Eadem epiſtola reſpondi ad argumenta tua, quibus contendebas hanc vocem in hac propoſitione propriè accipi debere. Addidi rationes, quibus probaui eam propriè accipi non poſſe. Et ſimul docui eam relative, vel metonymicè accipi debere.

Ad reſponſiones meas nihil regeris: ad argumenta mea nil reſpondes: & tamen mones imò pæne inſultans urges me ut reſpondeam. Relege primam & penultimam meam epiſtolam, & pudebit te huius plus quam puerilis jactantiæ & inſultationis. Hanc propoſitionem. *Fides credentis imputatur ei* (credenti) *ad juſtitiam*, approbat tota ſchola Monachalis, quemadmodum apud Bellarminum, Valentinianum, & alios videre potes. Eandem approbant Samoſateniani omnes, quemadmodum ex Socini libro de Chriſto Servatore, & ex Oſtorodi apologia conſtat. Sed & eandem nos approbamus. Dic nunc quæſo, an illam intelligas ſenſu Monachali; an Sociniano; an noſtro; an verò peculiari & novo aliquo ſenſu? Vnum ex his quatuor tibi dicendum eſt. Quia non acquieſcis meis reſponſionibus, probationibuſque, ſatis oſtendis te vocem illam in hac propoſitione non accipere ſenſu noſtro. Sed neque cum Monachis ſentis. In penultima enim epiſtola tua rejicis illorum merita. Verba tua hæc ſunt. *Cur ipſius* (Lutheri) *cogitationes in eam partem devolutæ non ſunt, quæ altera theſeos parte a nobis exponitur? Et quid*

ſi fuiſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

ſi fuiſſent devolutæ, quid ex eo ſequuturum fuiſſet incommodi? cum ea non minus Pontificiorum merita ſubvertat, atque ea quam ipſe (Lutherus.) *ponit?* Deinde Monachi dicunt, fidem eſſe tantum initium juſtitiæ noſtræ. Vos verò contenditis fidem eſſe perfectam legis juſtitiam. Relinquitur igitur te vel Socini ſententiam amplecti, vel aliam novam comminiſci. Rogo te ut candidè & perſpicuè mentem tuam explices. Tuæ Rhetoricationes, & pluſquam pueriles jactantiæ atque inſultationes merentur ut in hunc modum te urgeam.

Si modeſtè ſententiam tuam explicuiſſes, ego hoc modo non agerem. Nunc cum ipſe hæreas, & ex his ſalebris te explicare nequeas, perinde agis ac ſi me conſtrictum & convictum teneres. Hoc igitur paulò craſsius explicare debui, ut diſceres, me non ſine ratione ſcripſiſſe quæ ſcripſi.

Progredior ulterius & dico fidem in hac propoſitione

Fides imputatur credenti ad iuſtitiam

poni per metonymiam pro obedientia ſive juſtitia Chriſti. Et hoc inde probo, quod hoc ipſum, quo juſtificamur nobis imputatur ad juſtitiam. Sed obedientia ſive juſtitia Chriſti eſt illud, quo juſtificamur. Ergo obedieutia ſive juſtitia Chriſti imputatur nobis ad juſtitiam. Major eſt vera. Iuſtificamur enim imputata juſtitia. Rom. 4. 6. *Beatus homo cui Deus imputat juſtitiam ſine operibus.* Et comm. 11. *ut etiam ipſis imputetur juſtitia.* Eſt enim idem.

Deus mihi imputat iuſtitiam: Et
Deus me iuſtificat imputata iuſtitia.

Hoc exiſtimo te mihi non negaturum eſſe. Minorem docet Apoſtolus Rom. 5. 9. *Juſtifcati eius ſanguine.* Et comm. 19. *Unius obedientia juſti conſtituentur multi.* Neceſſariò igitur ſequitur obedientiam Chriſti eſſe illam juſtitiam, quâ juſti conſtituimur; vel quod idem eſt, quâ nobis imputata juſtificamur. Deinde extra controverſiam pono nos aliena juſtitia juſtificari. Certè Apoſtolus hoc clarè docet Phil. 3. 9. *Ut inveniar in eo, non habens meam juſtitiam, ſed eam, quæ eſt Chriſti per fidem.* Sed fides, quam ego habeo eſt mea fides, mea, inquam, non aliena. Iacobi 2. 18. *Oſtendam tibi fidem meam.* Proinde ſi fides mea eſt illa juſtitia, quæ mihi imputatur ad juſtitiam, vel qua ego juſtus conſtituor: Paulus eam non excluderet. Excludit autem omnem juſtitiam meam.

Adhæc,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Adhæc, juſtitia, quâ juſtificamur non eſt *hypoſtaſis* ſperandorum, neque elenchus non apparentium. *Fides noſtra eſt hypoſtaſis ſperandorum, & elenchus non apparentium* Hebr. 11. 1. Ergo fides noſtra non eſt illa juſtitia, quâ coram Deo juſtificamur.

Præterea, juſtitia eſt illud, ad quod corde creditur. Rom. 10. 10. *Corde creditur ad juſtitiam*. Fides non eſt illud, ad quod corde creditur: nemo enim credit ad fidem: ſed quicunque credit, ille fide credit ad juſtitiam: Ergo fides non eſt juſtitia.

Deinde quod eſt fidei, per fidem, & ex fide, id non eſt ipſa fides. Iuſtitia quâ juſtificamur eſt fidei, per fidem, & ex fide. Ergo juſtitia non eſt ipſa fides.

Locus Rom. 5. 19. *Vnius enim obedientia juſti conſtituentur multi*, idem evincit. Vnius enim illius obedientia citra controverſiam eſt Ieſu Chriſti. Hæc igitur obedientia Ieſu Chriſti nobis imputatur ad juſtitiam. Aliena enim juſtitia aliquem juſtificari, niſi per imputationem eſt ſimpliciter impoſſibile. Nam ut non potes aliena culpa damnari, niſi illa tibi imputetur: ita etiam non potes aliena juſtitia juſtificari, niſi illa tibi imputetur.

Adhæc, ſi fides eſt illa juſtitia, quâ coram Deo juſtificamur; & obedientia Chriſti eſt illa juſtitia, quâ coram Deo juſtificamur: tum juſtificamur duabus juſtitijs, ijſque perfectis & diverſis, in diverſis & ſeparatis ſubjectis inhærentibus, una in Chriſto, altera in nobis, quod eſt abſurdiſſimum. Quin ſi fides eſt perfecta legis juſtitia: tum illi, qui fidem habent, habent perfectam legis juſtitiam. Sed qui perfectam legis juſtitiam habent, illi ſunt perfectè juſti. Qui perfectè juſti ſunt, illis Chriſti obedientia non eſt neceſſaria, vel quod idem eſt, illis non eſt neceſſe, ut per Chriſti juſtitiam juſtificentur. Veriſſima enim eſt regula: *Sanis non opus eſt medico*. Qui igitur fidem habent, illis non eſt neceſſe, ut per Chriſti juſtitiam juſtificentur. Hac in re vobis prudentior eſt Socinus; quia enim dicit, fidem ex Dei clementia eſſe perfectam juſtitiam noſtram, concludit meritum ſive ſatisfactionem Chriſti eſſe nobis inutilem; imò rejicit illam ut inane commentum. Eò etiam vobis tandem deveniendum eſt, ſi vobis ipſis conſtabitis, & non negabitis, quod ante ſtatuiſtis.

Deinde Scriptura negat nos operibus noſtris juſtificari. Sed actus fidei meæ eſt opus meum. Eadem Scriptura docet juſtificationem ex gratia, non poſſe conſiſtere, cum juſtificatione ex operibus. Rom. 11. 6. Iuſtificatio igitur ex gratia, cum juſtificatione ex actu fidei meæ conſiſtere non poteſt.

Denique

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Denique fidem eſſe inſtrumentum tu ipſe confiteris. Verba tua hæc ſunt in prima epiſtola. *Fides eſt organum.* Verum cuius rei eſt inſtrumentum? An non juſtitiæ accipiendæ aut acceptæ? Sed fidem eſſe inſtrumentum juſtitiæ accipiendæ vel acceptæ, & eſſe ſimul inſtrumentatum (liceat mihi ita cum logicis loqui) hoc eſt, eſſe ſimul inſtrumentum accipiens juſtitiam, & juſtitiam inſtrumento acceptam, eſt ſimpliciter impoſſibile. Intrepide igitur pronuncio fidem in iſta propoſitione non accipi propriè.

Addimus fidem per metonymiam poni pro obedientia ſive juſtitia Chriſti, quam per fidem accipimus & applicamus nobis, vel quod idem eſt, quæ nobis per fidem imputatur. Cum igitur nobis fides ad juſtitiam imputari dicitur, tribuitur inſtrumento quod eſt juſtitiæ ſive obedientiæ Chriſti.

In ſcholis dicunt Fidem in his propoſitionibus

Fides nobis imputatur ad iuſtitiam.

Homo iuſtificatur fide, &c.

accipi correlativè. Tu ipſe hoc antepenultima epiſtola affirmaſti. Verba tua hæc ſunt. *Fides iſta meritum Chriſti reſpicit, atque hoc modo verum eſt id quod dicitur: Fides non juſtificat per ſe, ſed correlativè, quatenus nimirum Chriſtum apprehendit, eiuſque juſtitiam.* Sed res eodem redit. Sive enim dicas, fidem per metonymiam poni pro obedientia Chriſti, quam fide apprehendimus: ſive dicas fidem relativè accipi, pro ſuo correlativo, ad quod reſpicit, idem dicis. Reſpicit autem ad obedientiam Chriſti. Hac nos juſtos conſtitui docet Apoſtolus Rom. 5. 19. Obedientia igitur Chriſti eſt illa juſtitia, quâ nos juſtificamur. Hanc verò obedientiam quia fide accipimus, fit, ut vel fides pro obedientia Chriſti ponatur, vel fidei tribuatur, quod obedientiæ Chriſti convenit.

Hæc doctrina eſt clara & perſpicua, & eſt illa, quam hactenus profeſſæ ſunt eccleſiæ noſtræ. Melanthon in locis de vocabulo fidei: *Eſt ſemper hæc propoſitio, fide ſumus juſti, correlativè intelligenda.* Idem de argumentis adverſariorum, reſponſione ad argumentum ſecundum, & ad argumentum quartum. Calv. ad Galat. 3. 6. *Cur fidei tribuitur tantus honos ut vocetur cauſa juſtitiæ noſtræ, primò ſciendum eſt eſſe cauſam inſtrumentalem duntaxat.* Martyr ad Rom. pag. 878. *Sed illa* (fide) *juſtificari dicimur, quâ* (puto legendum eſſe quia) *promiſſiones Dei, & Chriſti juſtitiam, meritaque per ipſam apprehendimus & nobis applicamus,* Beza ad Rom. 3. 23. *Ne quis exiſtimet fidem eſſe il-*

X *lud, quod*

lud, *quod nos juſtificat, cum ſit duntaxat inſtrumentum, quo Chriſtum juſtitiam noſtram apprehendimus.* Hemning. ad Gal. 3. fol. 340. *Fides eſt inſtrumentum, quo oblata benedictio accipitur.* Vrſinius in Catechet. de juſtificatione quæſt. 4. *Juſtitia noſtra quâ iuſti ſumus coram Deo, non eſt conformitas noſtra cum lege, neque bona opera, non fides, ſed eſt ſola ſatisfectio Chriſti præſtita legi pro nobis.* Ibidem quæſt. 6. *Fides eſt cauſa inſtrumentalis apprehendens & applicans iuſtitiam Chriſti.* Idem in primo volum. fol. 632. *Quomodo congruit, quod dicis Miſericordia Dei & merito Chriſti, & fide nos iuſtificari?* Reſp. *optimè hæc inter ſe congruunt & ſenſum eundem habent. Miſericordia enim Dei ſola eſt, qua nos iniuſtos pro iuſtis recipit. Chriſti mors & iuſtitia eſt, propter quam nobis ex miſericordia imputatam Deo placemus. Fides autem eſt, quâ Chriſti iuſtitiam nobis a Deo imputatam accipimus.* Paræus ad Rom. fol. 474. *Fides eſt organum. Sanguis Chriſti eſt meritum iuſtificationis noſtræ.* Et. *Fides nos iuſtificat organicè, ſanguis Chriſti meritoriè.* Atque hæc eſt communis doctorum noſtrorum ſententia, neque ego vel unum novi ex omnibus doctoribus noſtris, qui aliter doceat.

His adde, quæ ego penultimis meis litteris reſpondi ad tua argumenta, quibus conabaris probare, fidem non poſſe in hac propoſitione correlativè accipi. Atque etiam illa, quibus oſtendi fidem in illa propoſitione non poſſe propriè accipi, & fortaſſe non ita rhetoricaberis poſt hac, præſertim cum ad illa, quæ ego in penultimis meis literis ſcripſi, ne unum quidem verbum reſpondeas. Nam has tuas rhetoricationes & ſtomachationes ego non habeo pro reſponſione: ipſam enim cauſam non attingunt, neque tuæ cauſæ prosunt, neque obſunt meæ: tantum oſtendunt morbum animi tui.

Addis. *Ille* (Chriſtus) *nos purgavit.* 1. Ioan. 1. 7. *lavit nos.* Apoc. 1. 5. *Emit nos.* 2. Pet. 2. 1. Apoc. 5. 9. & 14. 4. Act. 20. 28. *Et quidem pretio.* 1. Cor. 6. 20. & 7. 28. *Non auri neque argenti, ſed ſanguinis ſui pretioſiſſimi.* 1. Pet. 1. 18. *Itaque perieponæſe hæmas.* Actor. 20. 28. Marc. 10. 45. *Ille nos elytooſe.* Luc. 24. 21. Tit. 2. 14. Apoc. 5. 9. *Ipſe eſt hilaſmos pro peccatis noſtris.* 1. Ioan. 2. 2. & 4. 20. *hilaſtærion.* Rom. 3. 25. *Sacerdos eis tò hilaſzetai tas amartias tuu lauu.* Hebr. 2. 17. *Hæc ego*, inquis, *agnoſco omnia*, &c. Hæc eadem agnoſcit Socinus, nec minus ſpecioſe exaggerat illa, quam tu. Sed de his paulò poſt. Tantum nunc dico hæc omnia non probare fidem in illa propoſitione, *Fides imputatur credenti ad iuſtitiam*, propriè accipi debere. Si mihi non credis, fac ex omnibis his locis vel conjunctim vel ſeparatim ſumptis, ſyllogiſmum oſtenſivum, & infer hanc concluſionem,

Ergo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Ergo fides in hac propoſitione; Fides imputatur credenti ad iuſtitiam; propriè accipi debet.

Et experieris re ipſa, te ex illis locis nihil colligere poſſe, quo hoc tuum affectum probes. Quin ex his locis planè contrarium colligitur. Nā ſi Chriſti ſanguine juſtificamur & mūdamur ab iniquitatibus noſtris, tum obedientia Chriſti eſt noſtra juſtitia, illaque nos coram Deo juſtificamur. Verum ſi obedientia Chriſti eſt noſtra juſtitia, & nos illa coram Deo juſtificamur, tum fides noſtra propriè accepta non eſt noſtra juſtitia, neque nos illa coram Deo juſtificamur. Ipſe non negabis nos aliter juſtificari fide, & item aliter juſtificari obedientia Chriſti. Velis igitur nolis, cogeris fateri, fidem eſſe aliter noſtram juſtitiam, quam obedientiam Chriſti.

Adhæc, in prima epiſtola ſcripſiſti, juſtificare eſſe univerſale *pathos* fidei. Sed ſi hoc verum eſt, tum obedientia Chriſti non eſt illud, per quod apud Deum juſti conſtituimur, quicquid contra dicas. Nam ſi per obedientiam Chriſti juſti conſtituimur, tum juſtum conſtituere, hoc eſt, juſtificare eſt univerſale *pathos* obedientiæ, hoc eſt, juſtitiæ Chriſti. Sed hoc eſſe nequit, ſi juſtificare eſt univerſale *pathos* fidei. Eſſe enim unam & eandem rem univerſale *pathos* fidei noſtræ, & juſtitiæ Chriſti ſimul, eſt ſimpliciter impoſſibile.

Hæc igitur locorum coacerbatio te non juvat. Aut enim neceſſariò tibi negandum eſt, quod prius ſcripſiſti, videlicet, *iuſtificare eſſe univerſale pathos fidei*. Aut dicendum tibi erit cum Socino, Chriſtum nos nō propriè, ſed metaphoricè redemiſſe, eundemque eſſe *hilaſmon kai hilaſtærion*, non quod Deum placaverit nobis, ſed quod Deus oſtenderit ſe nobis in illo placatum eſſe, & quod nobis per eundem ſuam voluntatem patefecerit. Nam quemadmodum modo dixi, Iuſtificare eſſe univerſale *pathos* fidei; & obedientiam Chriſti eſſe illud, per quod actu & propriè juſti conſtituimur, eſt ſimpliciter impoſſibile. Hic Rhodus, hic Salta. Si vis tuæ conſcientiæ conſultum, tum nega quod prius ſcripſiſti, & ſta cum eccleſia. Sin verò cum eccleſia non ſtabis, ſed in errore perſeverabis, non debes ægre ferre, ſi quis dicat hic aliquod *hypuulon* latere.

Cum hanc locorum coacerbationem rectius conſidero, video te velle innuere, Chriſtum ſuo ſanguine & morte meruiſſe fidei (ut nos juſtificet) hanc dignitatem. Et hoc ipſum ex Socino, Serveto, & Oſtorodo hauſiſti, ut nos in prima epiſtola luculenter oſtendimus. Addis: *hoc quæritur. Cum iſta ita ſe habeant, hoc eſt, cum Deus nobis*

 ex ſua

ex ſua parte totum dederit Chriſtum, qui ea præſtiterit, quæ iam deſcripſi idemque a nobis exigat fidem, eaque ex noſtra parte præſtari velit, pronuncietque ſe eam tibi in iuſtitiam imputaturum eſſe: Quidnam illud ſit, Fides imputatur credenti ad iuſtitiam. Reſp. totum hoc ipſum libenter admiſſurum eſſe Socinum. Poteſt enim hunc ſenſum habere: quod Deus hanc conditionem a nobis requirat, & propter eam a nobis præſtitam nos juſtificet, vel quod fidem a nobis præſtitam nobis ad juſtitiam imputet. Hanc eſſe tuam ſententiam, ex prioribus colligere poſſum. Hæc enim ſunt tua verba. *Si credideris in filium, fidem tuam habebit Deus pro omni iuſtitia.* Hoc autem eſſe *Sookinizein* ego ante oſtendi, & tu confeſſus es. Verba tua hæc ſunt. *Quanquam tempus aliquando fuerit, cum de iuſtificatione aliter doceretur, quam nos palam docemus. Quid Lutherum impulerit ut vulgatam ſententiam deſereret? Quid ut iſtam conciperet? quam tamen nullus Scripturæ locus apertè inſinuat? Qua occaſione id factum? Quibus gradibus & incrementis? Quo pondere rationum? Cur ipſius cogitationes in eam partem devolutæ non ſunt quæ altera theſeos parte ponitur? Et quid ſi fuiſſent devolutæ? Quid ex eo ſequuturum fuiſſet incommodi? Cum ea non minus Pontificiorum merita ſubverteret, atque ea, quam ipſe ſtatuit. Nam tunc quidem infame Socini nomen nondum auditum fuit.* Vt ſatis mirari non poſſim, quare hac epiſtola tam ſollicitè ſtudeas mihi perſuadere, tibi Socinum lectum non eſſe. Hoc enim, mi frater, alijs perſuaſeris, non mihi. Satis enim clarè video ex epiſtola tua, cuius vitula araveris. Hæc ego ad tuas reſpondere debui. Quam tibi propono eſt doctrina antiqua, hanc ſequuntur doctores noſtri. In hac ego acquieſco. Eſt enim extructa ex fundamentis Prophetarum & Apoſtolorum, neque ego aliam debeo docere. Si hanc vocabis crambem veterem & recoctam, ſcire debes, illud convicium non in me jaci, ſed in Ieſum Chriſtum, qui nobis hanc doctrinam tradidit.

Si quid reſpondere libet, tum rem ipſam urge, quantum potes, & mitte illas pueriles rhetoricationes & ſtomachationes: nam neque te neque me dignæ ſunt. Deſine etiam tergiverſari amplius. Quid enim attinet illa ſcribere, quæ tu ſcribis, & præ ſe ferre conſenſum cum eccleſijs noſtris? Qui ſunt harum rerum periti, etiam deteriora metuunt. Rectius faceres, mea ſententia, ſi palam diceres.

In hoc & in illo capite a veſtra doctrina diſſentimus, in cæteris conſentimus.

Nam ſi hoc faceres, tollerentur multæ ſuſpiciones, & facilior eſſet

ſpes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

ſpes reconciliationis. Sed de hac re vos videritis. Deus nos omnes ducat in viam pacis & concordiæ, ſed iſtius concordiæ, quæ eſt in Ieſu Chriſto. Vale. *Fran.* ANNO 1609. 20. Septembris.

SEPTIMA EPISTOLA SIBRANDI LVBBERTI AD PETRVM BERTIVM.

MVlti fratres qui ex Hollandia & Zelandia ad me ſcribunt, ut tuas literas, & meas ad illas reſponſiones ſibi legendas dare velim. Ego hoc verò conſtanter recuſavi hactenus. Quia tamen illorum preces non omninò rejicere poſſum: ſtatui mediam viam ſequi, & rationes ex tuis epiſtolis petitas, & meas ad illas reſponſiones cum illis communicabo. Sed hic ambigo: an nudas rationes, an illas tuis verbis veſtitas proponere ſatius ſit. Iuva hic me tuo conſilio. Ego in hoc poſterius magis inclino, niſi tibi aliud videatur. Si vis ut tuum nomen apponam, ſignifica id mihi. Sin verò mavis ut illud celem, fac me de tua voluntate certiorem. Si nihil reſpondes, utar arbitrio meo. Vale. *Fran.* ANNO 1609. 12. Decembris.

RESPONSIO PETRI BERTII AD SEPTIMAM EPISTOLAM SIBRANDI LVBBERTI.

SEtſi omnino conſilium tuum non probem, videaturque mihi illaudata illa Fratrum quorundam curioſitas, qui etiam alienarum literarum ad amicum ſcriptatum argumentũ ſcire cupiunt:

Tamen cum te quoque videam eo propendere, ut aliquid in vulgus edas, age tandem, fiat quod vis. Sed ede omninò hiſtoricè, hoc eſt ipſas illas, quæ inter nos ultro citroque miſſæ ſunt, litteras, præmiſſa totius diſputationis quæſtione, iudicio tuo de theſibus meis, Facti inſuper cum hic eſſes narratione, mea quærimonia, & diſſertatione, aliisque deinceps ordine epiſtolis, ne hac quidem ipſa, quam vides & legis excepta. Hæc, inquam, omnia abs te bona fide vulgari, quando ita vis, volo. Iudicium erit penes fratres lecturos. Nam quod ego tibi hoc tribuam, ut meam ſententiam tuis verbis, aut etiam meis iudicio tuo excerptis & diſpoſitis, proponas, erras. Nunquam hoc faciam. Nemo verba mea & interiorē animi conceptum melius intelligit, quam ego, qui ſcripſi. Et erunt inter eos, qui legent, multi, qui facile iudicabunt, quid diſtent æra lupinis. Ego rem omnem poſtea adhuc accuratius expendi, & videor expediviſſe. Quod ſi etiam epiſtolæ illius, tuæ primæ in qua iudicium tuum ſcribis de theſibus meis, exemplar habere volueris, faxo habeas. Vale in Domino. Propridie Calen. Ianuar. Anni 1610. quem tibi ſanctum & fœlicem precamur ex animo.

FINIS.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 2006